Cuinam rei innitatur obligatio faciēdi pœnitentiã.

Theologi hanc divinæ justitiæ satisfaciendi obligationem in tribus statuunt reliquiis, quas peccata nostra licet dimissa post se relinquunt. In corde Dei relinquunt residuum iræ, & indignationis, quod placandum est: relinquunt residuum pœnæ, quæ redimenda est: relinquunt in corde peccatorum licet conversorum residuum languoris, habituumque pravorum, qui delendi sunt. Inde igitur patet, sinceræ cordis conversioni, & vitæ mutationi addendas esse austeritates pœnitentiæ, primum quod divinæ justitiæ sceleribus irritatæ ex integro satisfaciendum est; secundo, quod expiandæ sunt reliquiæ peccatorum, quæ commissa fuerunt, quamvis eorum veniam affecuti fuerimus; tertio, quod evellendæ sunt pravorum habituum reliquiæ, quæ efficere possent, ut peccata ipsa reviviscerent.

Tridentini Concilii doctrina.

Satisfactio, quam a peccatoribus exigit Deus, non in interiori tantum pœnitentia consistit, neque in cura, & præcautionibus, quæ adhibentur ab illis, ne iterum peccent: verum etiam in pœnis, atque suppliciis, quæ sibimetipsis imponunt, ut ulciscantur, & puniant præteritæ vitæ flagitia. *Non solum*, Tridentina Synodus sess. 14. sess. 14. cap. 8. inquit, *ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Quod si verum non esset, injuria profecto antiqua Concilia, Sanctique Patres pœnitentiæ faciem nobis adeo horridam, tetramque descripsissent, necnon immerito declamassent tanta vi contra eos, qui ad Sacram admittebant Synaxin pœnitentes, antequam illos per laboriosa pœnitentiæ exercitia traducerent. Error igitur est censere, posse confessarios leves imponere pœnitentias pro gravissimis etiam sceleribus; Tridentinum Concilium e contra præcipit illis, ut summa cura rationabilem servent inter satisfactiones, quas præscribunt, & qualitatem peccatorum, quorum seipsos accusant, æqualitatem, alioquin scelerum eorumdem futuri participes.

Non immerito ecclesiæ præsules olim adeo accuratos proposuerunt pœnitentiæ canones cum pro præteritis noxis, tum pro antiquis habitibus radicitus convellendis, quos ibi peccata reliquerant, tum denique pro evitandis sapienti constitutione tentationibus, ac relabendi periculis. Horum canonum, qui cuilibet peccato mensuræ pœnam præfigebant, praxis austerissima quidem fuit, sed sanctissima, & saluberrima; quippe praxis erat a Deo inspirata, ac per apostolicam traditionem demandata. Illi aliquot sæculorum spatio in ecclesia servati fuerunt, licet varie pro temporum, locorumque varietate. Sed prout mutata sunt tempora, pro necessitate, atque animarum dispositione methodus austera earum pœnitentiarum lenita fuit sapienti consilio eorum, qui Dei mysteria ministrabant. Extra omnem dubitationis aleam est, ubi canones illi vigebant, quanquam non omnino essent de necessitate salutis, fuisse tamen de necessitate præcepti; quilibet enim Christianus debet obedientiam auctoritati ecclesiæ, quæ tunc temporis eos præsenti fidelium statui necessarios esse putabat. Verum cum sæculorum decursu fidelium charitas, & primus ille fervor intepuerit, ecclesia debuit aliquid primæ severitatis remittere, ut filiorum suorum infirmitati prospiceret. Ex veteri pœnitentia, & indulgentia, qua ministri Domini modo utuntur, inferendum est, ecclesiam, cum in legibus, ac disciplina sua falli non possit, non secus ac in fide, potuisse pro temporum ratione primam illam severitatem moderari, quam ipsa justissimas ob causas instituerat; neque sine temeritate, & errore improbari posse: verumtamen prætereundum non est hoc factum, quin ullum illatum fuerit juribus justitiæ Dei præjudicium, cui vel in hac, vel in altera via satisfaciendum est; aliquando enim persolvendum erit centuplum pro iis, quæ nunc modicis sumptibus dissolvere possemus per pœnitentiam, quæ, quantumlibet austera sit, semper levis est, si cum peccatorum meritis comparetur.

• Pœnitentia Christiani vere conversi in omne vitæ spatium est producenda.

Periculosus error est, & illusio sibi persuadere, pœnitentiam, quæ adeo frequenter in Bibliis commendatur, esse tantum momentorum aliquot, horarum, aut dierum. Seu pœnitentiam pro criminum nostrorum dolore accipiamus, sive illam tamquam justam criminum nostrorum punitionem spectemus, tempore indiget. Verum est, justificationem, si ex parte Dei spectetur, momento fieri per gratiæ infusionem; sed ex parte peccatoris præparatio ad gratiam hanc recipiendam plurimum temporis requirit. Sin autem pœnitentiam consideramus pro punitione, & expiatione criminum nostrorum, Tridentina Synodus sess. 14. cap. 9. docet, totam vitam Christiani, qui ex eo decidit sanctitatis statu, in quo illum Deus per baptismum constituerat, perpetuam esse debere pœnitentiam: *Tota vita Christiani perpetua esse debet pœnitentia.* Ubi animadvertendum est, cum Synodus prædicta inquit, Christiano, qui baptismatis sui gratiam amisit, pœnitentiam semper agendam esse, non vult illa quidem nobis perpetuum jejunium indicere, neque cogere, ut cilicio, & sacco induamur, atque in actuali scelerum nostrorum pœnitentia vivamus. Haud ita; numquam plura facere tenemur, quam quæ possumus; humana infirmitas hujus status capax non est; sed Concilium innuit, cuilibet Christiano, qui per peccatum Dei iram meritus est, & deinceps per gratiam illius sanctificatus est, reliquo vitæ spatio servandam esse habitualem suæ ingratitudinis memoriam, ac in vitæ suæ ratione præferendam profundam humilitatem, sanctum sui ipsius odium, perfectam mandatis Dei submissionem, sanctumque in pietate fervorem, quia hæ virtutes fructus sunt veræ pœnitentiæ.

Pœnitentiæ finis persuadere debet, illam severā esse debere.

Si cogitaverimus, quinam sit finis pœnitentiæ, intelligemus sane, quousque spiritus austeræ hujus virtutis nos impellere debeat, & quas nobis obligationes injiciat. Finis autem pœnitentiæ est placare Deum, eique satisfacere. Igitur ex omnium theologorum sententia actus est justitiæ, qui, quantum fieri potest, omnia ad æqualitatem revocare debet. Accommodare igitur debet pro viribus reparationem offensæ, & satisfactionem injuriæ, sed creatura nequit eam æqualitatis proportionem afferre, quam theologi de condigno nuncupant, cum offensa erga Deum sit quodammodo infinita. Afferenda igitur saltem est proportio de congruo, hoc est tantum austera, quantum nostra infirmitas permittere potest.

Confidentia a peccatore habenda in pœnitentia.

Inde vero peccatorum anima in virtute pœnitentiæ confidere debet, quod virtus hæc, quæ semper supponit sacramentum vel receptum, vel recipiendum, mirum in modum est efficax ad gravissima quæque peccata per merita sanguinis Jesu Christi delenda. Ita ut si quis omnia unus patrasset peccata, quæ patrari possunt, ea posset eluere veram agendo pœnitentiam. Deo cordi fuit magnam hanc in Scriptura veritatem statuere, atque hac in re adeo explicitus usus est verbis, ut nullum dubitandi locum reliquerit; & nos infinite debitores sumus misericordiæ ejus, quod voluerit eam veritatem, quæ præ cæteris religionis nostræ majus nobis afferre potest solatium, unam omnium maxime perspicuam esse, ac manifestam. Ut hoc luce clarius innotescat, satis est hæc intueri Ezechielis Prophetæ verba: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet & non morietur.*

Pœnitentia districta esse debet, & peccato congrua.

Pœnitentia esse debet austera; hæc est Doctorum omnium sententia biblicis auctoritatibus, & sacris innixa conciliis. Neque ægre id nobismet persuadebimus, si cogitaverimus, illam non esse aliud, quam satisfactionem, quam peccator tribuit majestati Dei, quem suis criminibus irritavit: justitiam præconem, quam pœnitens in seipsum exercet, ut divinæ satisfaciat justitiæ: ita enim Patres illam definiunt. Pœnitens seipsum in Dei locum substituat, opus est, indignatio Dei contra peccatum migrat in cor illius, qui illud expiat per pœnitentiam. Itaque opus esset, si fieri posset, odisse peccatum, quantum Deus illud odit; sed cum hoc fieri nequeat, opus saltem est, illud tantum esse, ut ipsum sentiamus. Hinc pleræque pœnitentiæ minime sufficiunt, quoniam illas austeritas hæc non comitatur. Hæc autem austeritas non in spiritus humiliatione tantum, & cordis contritione consistit, sed etiam in corporis mortificatione. Ideoque cum Scriptura loquitur de pœnitentia, fere jejunium, cilicium, laboremque memorat, ut intelligamus corpori æque, ac spiritui ferendam esse pœnam peccati.

Cum corpus aliquid contulerit peccato; aliquid etiam conferre debet, ut per pœnitentiam satisfaciat Deo.

Cum corpus sit particeps, & sæpe etiam minister scelerum, quæ cor machinatur, quantum in ipso est, venire quoque debet in partem supplicii. Aliquo nobis stare debet impendio verus in Dei gratiam reditus, ut memoria eorum, quæ passi fuerimus, ut peccati vincula infringeremus, nos deterreat, ne in eadem incidamus; alioquin enim facilitas obtinendi criminum veniam ansam nobis præberet, ut per nefariam licentiam in omne scelus prolaberemur; & improbitas hominis re qualibet abutentis remedium pro peccatorum expiatione institutum in prætextum converteret sese sine metu ullo flagitiis abdendi. Ne nosmetipsos fallamus, S. Paulus Apostolus inquit, quemadmodum corpora vestra tamquam instrumenta fuere, ut scelus committeretur, conferre aliquid etiam debent, ut reparetur; quemadmodum ex illis fecistis tot vanitatis idola, ita faciatis oportet tot victimas pœnitentiæ; quemadmodum illa mundo sacrificastis per noxias voluptates, quibus vosmet ingurgitastis, per libidinem, ac mollitiem, in qua ea fovistis, Deo etiam per jugem mortificationem sacrificetis oportet.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Pœnitentia quatenus virtus, vel Sacramenti pars divinam justitiam cum misericordia cōciliat.

IN pœnitentia non solus agit Deus: criminis expiationem quodammodo in pœnitentis rejicit arbitrium, atque pro se peccatorem substituit, ut misericordiæ suæ fungatur officio, Tertullianus: *negotium curans divinæ misericordiæ*. Pœnitentia adorabile adminiculum est, quo usus est Deus, ut simul conciliaret suam misericordiam, atque justitiam propter peccatorem dissentientes. Misericordia ostendit Deo, nihil eodem dignius, & ipsi gloriosius esse posse, quam nocentibus parcere, hominum salutem pulcherrimum esse opus sapientiæ ipsius; ipsumque nequaquam divinitatis suæ imaginem in homine impressisse, ut lineamenta ejus in æternum relinqueret peccatorem labe deleta. Altera ex parte justitia repræsentat, permittere, ut peccata impune abeant, idem esse ac sceleribus omnibus ostium aperire; Dei judicia a peccatoribus esse formidanda, qui se reos minime putant, cum se impunes esse intuentur. Quid interim Deus, ut duas hasce divinas perfectiones conciliet, atque ut utriusque jura tueatur? Nocentium veniam misericordiæ permittit; justitiæ vero necessitatem agendi pœnitentiam: obtinet justitia fore, ut peccator puniatur; & misericordia obtinet fore, ut hæc pœna non proficiscatur a Deo, sed a peccatore contrito, qui seipsum puniet per pœnitentiam. Hoc pacto justitia, & misericordia perfecte conciliantur, & uti loquitur Propheta Psalm. 84. mystico sese mutuo complectuntur osculo: *Justitia, & pax osculatæ sunt. Specimen Sermon. pro 4. Adventus Domin.*

Per peccatum post confessioné remissum peccator adhuc indiget pœnitentia.

Confessio, S. Bernardus ait, pharmacum est febrim expellens; sed pœnitentia est veluti regimen vitæ, quod reparat vires, & cujus ad perfectam valetudinem reparandam indigemus: præsertim vero si diu in scelere volutati fuimus: animæ quippe morbis idem accidit, quod corporis, qui semper post se aliquem relinquunt languorem, ex quo ægre convalescimus, postquam morbis diutinis laboravimus. Peccatum, idem Pater ait, sagitta est, quam confessio ex anima revellit; sed revulso spiculo remanet adhuc periculosum vulnus, cui medicina est adhibenda; quod etiam ubi curatum fuerit, deformis superest cicatrix, quæ obducenda est; qua ipsa obducta adhuc macula quædam est reliqua detergenda, ut anima eum habeat nitorem, & albedinem, quæ aliquando ipsius innocentiæ superet integritatem. Et sane peccator, qui id non agit, ut dignos pœnitentiæ fructus afferat, potest ille quidem criminum suorum veniam recepisse in confessione, verum nisi virtus pœnitentiæ, ac repetita ejusdem exercitia in ipso gratiam sacramenti servaverint, quam primum in peccati vincula recidet. *Idem.*

Per pœnitentiam puniendum est corpus tamquam scelerum animæ consciū.

Corporis mortificatio sequi debet mentis humiliationem, & contritionem cordis in pœnitentia. Cor profecto illam debet incipere, quippe de corde omnia exeunt peccata, ut Dei filius ait; ideoque per contritionem severe puniendum est: sed cum corpus sit particeps culpæ, & minister scelerum, quæ cor ipsum concepit, ipsum etiam in pœnæ, & punitionis partem est accersendum. Verum cogitasne, Christiane, quid in vita tua magis austerum, severumque sit, quam esset antea, antequam in ea decideres crimina, quæ nosti, & quorum nihilominus severa tibi est instituenda pœnitentia? Tota hæc mollities, quam amor proprius excolit; omnes istæ exceptiones in noxiorum vinculorum fractura factæ; superflua hæc ornamenta, quæ tibimet semper licere vis; necessitudines istæ, quæ culpa vacare non videntur, nisi cum superioribus flagitiis comparantur; secreta hæc murmura contra rigorem legis ea prohibentis, quæ hactenus deperimus; affectiones istæ eo magis periculosæ, quod auferunt Deo cor, quod impensius exquirit. Quid! extrema cura sibi contra temporum vices præcavere; ecclesiæ jejunia pro levissimis incommodis frangere! Denique omnem reformatæ vitæ rationem ad exteriorem officiorum praxim redigere, quæ pœnitentiæ spiritu animata non est! Hæccine cum austeritate, quam hæc virtus præscribit, conciliantur? *Idem.*

Modus verā agendi pœnitentiam.

Aptissima ratio pœnitentiam nostris accommodandi criminibus est in spiritu expiationis omnes acceptare pœnas, quæ providentiæ ordine nobis in hac vita ingruunt: neque enim nobis satis esset virium, ut ex nobismetipsis idoneas pœnitentias eligeremus. Deus non exigit a nobis eos conatus, quibus pares minime sumus; hæc nobis aufert bona, quæ nimia festinatione consectamur, delet eam oris speciem, quæ colebatur; eas disponit simultates, quæ ne cogitabantur quidem. His in casibus satis est voluntatem nostram cum divina nos consociare. Præsertim vero in spiritu pœnitentiæ eas recipere debemus pœnas, quæ immediata sunt nostrorum peccatorum effecta. Hujusmodi sunt morbi illi, quos flagitiosæ adolescientiæ scelera in provectiori gignunt ætate, turpitudines illæ inhærentes scandalo, quod allatum est, impedimenta illa, in quæ inania cupiditatis, & ambitionis consilia nos præcipites agunt.

Faciendi sunt fructus digni pœnitentiæ.

Sanctus Joannes ex Judæis quærebat fructus dignos pœnitentiæ, opera congrua magnitudini, numeroque criminum, quæ patraverant: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Nullum est voluptatum genus, cui vosmet non abdideritis; mens vestra facta turpium affectionum, quarum horrorem vobis aperire debebat, captiva, vobis modos tradidit lædendi Deum, quos fortasse ipsi soli cognoscitis. Quomodonam hæc omnia mala reparare vultis, nisi æque mortificati sitis, ac libidinosi fuistis, nisi æque industrii sitis in sceleribus expiandis, ac in illis patrandis fuistis? Quomodonam reparare vultis omnes impios sermones, qui os vestrum tamquam in apertum sepulcrum mutarunt, unde mortis fœtor in eos omnes locos, per quos transivisti, emanavit? Quomodonam, inquam, hæc omnia reparare vultis, si vita vestra non sit æque ad virtutem composita, ut fuit in omne vitiorum genus effusa? Hoc enim proprie pœnitentia est, S. Thomas inquit, mortificationem opponere libidini, ædificationem scandalo, mentis recollectionem ejusdem evagationi; verbo, vitam bonam nefariæ. *Ibidem in Panegyrico S. Pauli.*

Ad pœnitentiam agendā vita mutanda est, & expiāda peccata.

Quin intus, & in cute scrutari velimus hoc in loco christianæ pœnitentiæ qualitates, nonne certum est ad pœnitentiam agendam vitam esse immutandam, ac in semet eo animadvertendum esse modo, qui iis congruat peccatis, quorum pœnitere nos decet? Vita mutanda est, & hanc mutationem requirit magnus Apostolus, ubi loquitur de felici ea transformatione, quæ per spiritus innovationem facienda est; *Reformamini in novitate sensus vestri.* Ad Rom. 12. Sed præterea quisque seipsum punire debet eo modo, qui peccato respondeat; non enim aliam hac solidius in Ecclesia veritatem constitutam invenies. Gemitus, atque suspiria nostra congrua sint magnitudini, & numero scelerum nostrorum. Sanctus Cyprianus ait; Diuturna, & salutaria adhibeamus remedia profundis vulneribus, neque pœnitentia minor sit scelere: *Quam magna deliquimus, tam grandia defleamus, alto vulneri diligens, & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit.* Porro ubinam sunt pœnitentes, qui vitæ rationem immutent? Ubi, qui peccata sua expient eo modo, qui par sit eorum nequitiæ? Quid! putasne inanes doloris, & pœnitentiæ protestationes ad Deum leniendum sufficere? Multa quidem promisisti Deo corda scrutanti, & penitiores conscientiarum sinus penetranti; verum quemnam effectum habere possunt fallaces promissiones nullum pœnitentiæ fructum ferentes? Dicis te vanitatem perhorrescere, sed locupletissimis ornatus indumentis obambulas: ambitionem damnas, sed nova semper animo revolvis consilia, quibus perturbaris; contra avaritiam declamas, & opum congerendarum avidissimum te ostentas: ultionis injustitiam agnoscis, at nemo tibi persuadere potest, ut cum inimico redeas in gratiam . . . Pauci sunt etiam, qui seipsos puniant eo modo, qui suis peccatis sit dignus; qui vero vitæ rationem immutent, pauciores. *Ibidem pro 3. post Pentecosten Dominica.*

Ut vera sit pœnitentia, exercēdæ sūt virtutes patratis sceleribus oppositæ.

Pœnitentia, inquiunt Theologi, non aliud est, quam compensatio peccati; hæc est satisfactio, quam peccator reddit majestati Dei, quem irritavit: justitia præcox, quam peccator in seipsum exercet quotidie, ut divinam flectat justitiam. Opus est igitur non solum peccatorem sese substituere in locum Dei, a quo esset puniendus, & indignationem Dei contra peccatum migrare in cor illius, qui expiat illud per pœnitentiam juxta illud Prophetæ Psalm. 83. verbum: *in me transierunt iræ tuæ.* Sed ut proportio, quæ inveniri debet peccatum inter, & pœnitentiam, vera sit, necesse est, pœnitentem post conversionem suam opponere virtutes contrarias vitiis, quibus antea indulgebat. *Ibidem in Panegyr. S. Augustini.*

Cum voluit Deus delere Amalecitas, præcepit, ut omnes, nemine excepto, internecione delerentur. Imago fidelis odii peccati, & earum rerum omnium, quæ ad peccatum impellunt, cum veram instituere cupimus pœnitentiam. Hac in praxi nihil non justissimum est.

Cum enim odium peccati semel in anima radices jecerit, hanc inducit ad execrandum, quidquid ipsi erat contrarium, & quidquid infelicitati suæ aliquid potuit conferre. Tunc anima hæc peccatum respicit tamquam gravissimam injuriam, quam inferre possit Deo; tunc init consilium ultionem ex semetipsa sumendi, infringendi vincula sua, & noxios affectus suos, atque per actus contrarios evertendi malos habitus, quos ipsa contraxit, mentis evagationem recessu, vanitatem modestia, loquendi pruriginem silentio, otium labore, mollitiem austeritate, gulam, atque intemperantiam jejunio, atque abstinentiam. *Joly in operibus mixtis; ratio sancte vivendi tempore Quadragesima.*

Magna opus est constantia, ut nosmet omnibus pœnitentiæ laboribus objiciamus.

Cum peccator vere conversus pœnitentiam agere decrevit, ut divinæ satisfaciat justitiæ, cor ejus paratum esse debet, ut omnia suscipiat, omnia exequatur, omnia sustineat; utque conversionem suam integram, perfectamque ostendat, dicere debet, ut olim S. Paulus: Domine quid me vis facere? Verbum breve, sed vivum, & efficax, S. Bernardus ait. Sed quam longe ab hac christiana generositate distamus. Si quis enim in ipso conversionum nostrarum principio nobis veluti in tabula quadam proponeret omnes pœnitentiæ difficultates, si omnes indigitaret nobis tristes locos vitæ necessario austeræ, ac laboriosæ: hic te homines persequentur, irridebunt, contemnunt; illic lectulo, tamquam cruci confixus, crudelem sustinebis febrim: hic personam, quæ tibi charissima, amittes; illic ob secretam conjurationem de gradu tuo deturbaberis; heu! quam vererer, ne prompta, fatalisque desperatio efficeret, ut omnia desereres, ac diceres ut ignavi illi, de quibus in Scriptura sermo est: Leones, & crudeles feræ obsident viam; certæ sese objicit morti, qui viam adeo periculosam ingreditur. Hic effectus est providentiæ illis, qui convertuntur, abscondere pericula, per quæ traducendi sunt, eisque gradatim pœnitentiæ austeritates ostendere, ne deterreantur. Deum eorum timoribus parcit; atque infirmitati illorum abscondit importunam funestissimi futuri cognitionem. Hæc tamen prima est dispositio, in qua esse debet peccator conversus, omnia propter Deum in spiritu pœnitentiæ sustinendi. *Flechier sermone de conversione S. Pauli.*

Ad verã pœnitentiã agẽdam peccata reparãda sunt bonis operibus cõtrariis.

Ut vera fiat pœnitentia, peccatum corrigendum est, in locum illius subrogando bona opera, & illa præsertim, quæ huic peccato respondent, & opposita sunt. Stimuli cordis propriis iniquitatibus ad angustias redacti! desideria superficialia, quæ ad effectivas usque satisfactiones non proceditis! Voluntates infirmæ, ac semiformatæ, quæ nullum producitis fructum! vos ad summum testes estis peccati; sed peccati reparationes non estis. Reparandum est, quod erat deletum, ac reparandum per ea, per quæ deletum fuisse innotescit. Corrigendum est, quidquid factum est contra Dei legem, per legis ipsius obedientiam iis in partibus, in quibus violatam esse scimus; qua in re plerumque fallimur: In corde non desunt quidam sensibiles locis, quos nemo audet scrutari, atque ut plurimum illi considerantur, qui nullo in discrimine habentur. Haud ægre eleemosynas erogat, qui suopte ingenio liberalis est. Prolixæ amantur orationes, cum attentione, an secus, Deus scit; hæc formalitas est devotionis, quæ nullis stant sumptibus. Non omnis detrectatur austeritas, dummodo eam ipsi eligamus, & a nostra voluntate proficiscatur: sed cum antiquæ præventioni, vel dominanti peccato resistendum est, ad primum conatum deterremur; longe alii esse vellemus, sed semper iidem sumus, & quamquam conversionis honorem optamus, illius tamen pœnam perhorrescimus. *Idem.*

Quilibet se minime teneri putat ad pœnitẽtiæ austeritates.

Tantum est proprii amoris ingenium, ut quamtumvis nobis persuasum sit de pœnitentiæ necessitate, tamen semper expedit viam, qua nos singillatim dispenset. Quilibet seipsum eximit, quilibet vitæ austeritatem vel magnis peccatoribus, vel præstanti sanctitate viris remittit, & se neutrum horum esse arbitratur. Qui fraterno cruore ultionis suæ sitim extinxerunt, qui compositis calumniis, vel surreptitiis, coemptisque judiciis familias bonis everterunt, qui pauperum spoliis locupletati sunt, qui sacris sunt abusi mysteriis, ambitionem, & avaritiam suam religionis, & justitiæ integumento celantes, hos omnibus legum rigoribus damnamus, & pœnitentiam propter illos factam esse didicimus. Iisdem regulis subjicimus eos, qui religiosum statum amplexi sunt. Videmusne religiosum frugi, atque mortificatum? hanc illius professionem esse dicimus; hi crucem elegerunt, illis ferenda est. Censemus, alios quidem propter suæ vitæ flagitia ad pœnitentiam agendam teneri; alios vero propter professionis sanctitatem; ac pro nobis tertium dispensationis, ac libertatis statum concinnamus. Non satis nefarii sumus, ut inter primos adnumeremur, neque satis devoti, ut inter alios adscribamur; nobis deesse putamus causas, propter quas illos sequamur; neque tantum roboris nobis est, ut hos imitemur: itaque illos quidem pœnitentes ex justitia, hos autem ex electione, ac statu appellantes, nosmet, si cum prioribus comparemur, tamquam justos censemus, nostrisque affectibus infelicem concedimus impunitatem, eo quod ad extrema quælibet non evaserunt; sin autem cum aliis conferamur, infirmos nimis esse putamus, atque nosmet a pœnitentiæ austeritatibus dispensamus, quia ad perfectionem nequaquam contendimus. *Idem sermone de Sancto Sulpicio.*

Satisfactiones, quas a nobis postulat Deus pro peccato, quãtumvis austeræ sint, semper sunt justæ.

Quantumvis austeræ essent satisfactiones, quas irritatus Deus a nobis exigere vellet, illis semper nosmet subjicere deberemus: injuria de justitia illius conquereremur, quamvis levissimæ improbitatis veniam nonnisi post plurimos austerissimæ pœnitentiæ annos vellet concedere. Sufficit intueri inæqualissimam rationem, quæ intercedit inter Deum læsum, hominemque lædentem, ut judicium feramus, nihil iniquitatis inveniri posse in iis omnibus austeritatibus, quas nobis Deus ad veniam consequendam poterat irrogare. Amissæ gratiæ reparationem eo, quo maxime cupiebat, pretio nobis proponere poterat. Miseri, nobis dicere posset, quæ mihi necessitas adest vobismet indulgentem præstandi, atque vobiscum pactum feriendi, ut quibusdam propositis conditionibus mecum rediretis in gratiam? Vosmet affligite, conterite corda vestra dolore, & corpora vestra gravissimis austeritatibus; inobedientia vestra plura his meretur; verum ne speretis, omnem cordis vestri amaritudinem, omnemque lacrymarum vestrarum copiam vel minimum crimen vestrum esse deleturam. Postquam a me semel defecistis, nil vobis debeo, & sine ulla injustitiæ nota possum ad vos non reverti, quidquid ipsi conemini ad me reversuri. Hujusmodi jus est, o Fideles quod peccatum Deo vestro tribuit erga vos. Hinc autem arguere possum, quantumvis graves pœnitentibus irrogare potuisset obligationes, has numquam in Deo injustas fuisse futuras; etenim jure poterat nullam satisfactionum nostrarum accipere: ideoque nulla nobis causa est, propter quam de pœnitentiæ severitate conqueramur. *Ex manuscripto sermone.*

Pœnitentiæ austeritas primis Ecclesiæ temporibus.

Numquid necesse est hoc in loco terribiles veteris Ecclesiæ macerationes describere? Me pudet primorum fidelium exemplum proponere sæculo, quod ita flagitiosum est, uti nostrum. Illis ita persuasum erat, Deum nil nimis ab ipsis exigere posse cum iis in gratiam rediturum, ut fervori suo nullos circumscriberent limites. Quidam ultro sese in horrentem conjecerant specus alicujus carcerem omnis aeris inclementiæ expositi, atque de tenebricosis illis recessibus indesinenter querulos in cœlum emittebant ejulatus; quasi perenni fatigati vigilia, ne Solem quidem lucere videbant, rati se indignos ea luce, quæ sibi affulgebat, neque cernebant noctem sua obtendentem velamina, ut sibi eam interdicerent requiem, quam ipsa reliquis mortalibus conciliat. Alii in obscuris antris latentes semet catenis vinxerant eo in loco, quem suæ elegerant pœnitentiæ, ac voluntaria corporis captivitate mentis licentiam puniebant. Cæterum hujusmodi austeritates nequaquam erant propriæ eorum, qui inter cæteros sanctitates præstabant, fideles passim æque fervorem suum testabantur. Beatis illis temporibus videbantur ea peccata, propter quæ hodie ne una quidem fortasse lacrymula effunditur, septem annorum pœnitentiis expiata, sed quibus pœnitentiis? Peccator contritus lacrymas suas cum pane miscens, precibus vim addebat per suspiria: *jejuniis preces alere*. Ore semper ejulatus, fletumque oculis præferens præ templorum foribus, quo per reverentiam pedem non audebat inferre, terribiles emittebat rugitus: *Ingemiscere, lacrymari, rugire dies, ac noctes ad ostium templi*. Humilis in prostrationibus suis facie humi demissa advolvebatur coram presbytero, atque coram aliis fidelibus genua flectebat: *Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari*; hæc communis erat pœnitentiæ ævo suo austeritas, inquit Tertull. *Hæc omnia sunt exomologesis. Idem.*

Si austera hæc pœnitentia primis Ecclesiæ temporibus erat necessaria, nunc quoque similiter necessaria est. Nonne Deum eumdem colimus? Nonne eamdem legem, ideoque obligationem eamdem habemus? Sed præterea peccata nostra & plura sunt, & sæpe graviora; attamen nil minus commune est, quam pœnitentia, nil vulgatius, quam peccatum, nil infrequentius, quam expiatio. Proh Spiritus pœnitentiæ quam parum hodie in Ecclesia cognitus es! Nulla videntur amplius jejunia, macerationes nullæ, nulla vitæ mutatio. Credunt satis esse, si peccatum fuerint confessi, & æque ac antea oblectantur: haud ægre in pristina labuntur flagi-

flagitia, neque magis seipsos convertere, quam punire volunt. *Biroat in primo sermone pro feria 6. post Cineres.*

Pœnitentia locum tenet justitiæ Dei.

Pœnitentia est compensatio, quæ divinam exæquat justitiam: *Hac pœnitentia compensatione redimendam proponit impunitatem*. Quod si Deus aliquod iræ tenet residuum, quod illum ad ultricem justitiam suam exercendam impellit: *Pro Dei indignatione fungitur*, ait Tertullianus; pœnitentia hos iræ sensus induit, illius excipit injurias, prævertit officia, & aliqua cum proportione in peccatorem id operatur, quod ipsa divina justitia operata fuisset. Quid agis, Deus, contra peccatores, ut ultionem tuam in terra, in purgatorio, & in inferno exerceas? Alios humilias, alios punis; doloribus, pœnisque illos afficis, ab illis suspiria, & ejulatus extorques. Sed quod per vim divina extorquet justitia, & contra nocentium voluntatem, hoc suavius, & blandius obtinet pœnitentia. *Idem*

Pœnitentia constans esse debet, totoque vitæ nostræ tempore produci.

Non satis est agere pœnitentiam, in omne vitæ spatium producenda est, eique finem mors debet injicere. Licet certi essemus, Deum nobis peccata dimisisse, non ideo minus pœnitentiam agere deberemus: enim si extremo non laboramus amplius ad mortem morbo, saltem fateri debemus, infirmam esse valetudinem nostram. Illis similes sumus, qui recens convaluerunt, ad levissimum quemlibet ictum relabi possumus; & modicum illud salutis, quod nobis reliquum est, nonnisi per eadem remedia, per quæ illud adepti sumus, servari potest. *De Sancta Martha Presbyter in tractatu de necessitate Pœnitentiæ.*

Peccatores fugiunt pœnitẽtiam.

Peccatorum millities fugit labores pœnitentiæ, & vias exquirit, quibus se ab illis dispenset. Illi causas inveniunt, quas prætexant, ut sese ab illis omnibus, quæ gravia, atque dura sunt in pœnitentia, excusent, cujus fructum tantummodo vellent percipere. Postquam diu pro mundo laboribus exerciti sumus, levissimæ etiam pœna fiunt nobis non ferendæ, cum ferendæ sunt pro nostra salute, & sæpe corpus nostrum imbecille est, quia anima nostra tepida est, & ignavia. Nihil extrinsecus facere possumus, quia nihil habemus ejus charitatis, quæ efficit, ut efficaciter velimus, & ne animum quidem habemus illam a Deo precibus obsecrandi. *Idem.*

O tempora, o mores! Quo potiori jure S. Paulus irritatus ignorantia, in qua sæpe vivere volumus, sæculi hujus Christianis dicere posset, quod olim ad Romanos scripsit: *ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, Ad Rom. 2. An nescis, Dei bonitatem te ad pœnitentiam agendam compellere? Misericordiam ejus te novis cumulantem beneficiis, recentibus simul obligationibus onerare? & nisi velis diuturnam illius contemnere tolerantiam, atque infinitæ charitatis ejus divitias, amatissimum criminum tuorum dolorem respondere debere ei bonitati, qua tua peccata dimittit? *Ignoras*? Quam ignorantiæ prætexere causam posses? Quis Scripturæ locus, quæ Prophetæ verba, quod oraculum Jesu Christi te in hoc errore posset confirmare? Vetus, novaque lex te monet, eo quod te Dominus sufferat, præstolatur, vocat, tibique parcit, tibi hac eadem de causa ad misericordiam illius esse confugiendum lacrymarum copia, & pœnitentiæ austeritate. *Ignoras*? Exempla insignium peccatorum, qui licet absoluti, & cum Deo in gratiam reversi pœnitentem, austeramque vitam duxerunt, te ex hac ignorantia profecto deberent educere; puta illud S. Petri Apostoli, qui postquam magistrum suum magis ex infirmitate, quam ex nequitia negavit, seipsum illis adjudicavit ploratibus, atque austeritatibus, quæ nonnisi cum vita finem habuere. *Ignoras? Ex morali Dictionario serm. 2. de Indulgentiis.*

Quomodo salutaris pœnitentia instituenda sit.

Quæris, quomodo vivendum sit, ut salutarem agas pœnitentiam? en quid ego scio, S. Augustinus respondet. Inordinati appetitus mortificandi sunt. Sæpe ad carnem castigandam neganda illi sunt ea, quibus indiget, ut subsistat. Denique propter amorem Dei, & propriam salutem sustinendæ sunt cruces, quas tibi mittit providentia. Hoccine satis est pro salutari pœnitentia? Utique. At nimisne est? Nequaquam. Inde tamen quid tibi faciendum sit intellige. *Idem.*

Recepimus ipsi baptisma, quod Judæis Sanctus Joannes pollicebatur: sed heu! illius gratiam amisimus. Verum est, nobis alterum superasse, videlicet pœnitentiam, quam Tridentina Synodus post Patres modo austerum, ac laboriosum baptisma, modo secundam post naufragium tabulam vocat, Ita Tertullianus ait, qualis nauta, cujus navis scopulo illisa contrita est, jamjam fluctibus absorbendus, si apprehendere potest tabulam, illi mordicus hæret, in eaque omnem suam confidentiam constituit, semper tamen occupatus periculo, quod imminet sibi, semperque metuens, ne vel sibi vires deficiant, vel deglutiatur unda; talis esse debet Christianus, qui post Baptismum gratiam amisit; cujus videlicet confracta navis est, qua inter procellas mundi præservandus erat, in scopulos cupiditatum impacta: jamjam fluctibus absumendus adhæret pœnitentiæ, quæ illum sublevat; atque super undas sustinet; quam nisi reliquerit unquam, eo actus metu, qui totum spei ejusdem constituit argumentum, flatus Spiritus Sancti illum in divinæ misericordiæ portum usque propellet. *Abbas de Monmorel Homil. in 4. Adventus Dominicam.*

Quomodo faciendi sunt fructus digni pœnitentiæ.

Facit fructus dignos pœnitentiæ. Satis esse non debet flores emittere; qui statim intereunt, sed fructus ferendi sunt permanentes. Ita quamvis Propheta quidam Davidi fuissent professus, a Domino translatum jam fuisse peccatum illius, eumque nequaquam æterna morte moriturum, quemadmodum S. Augustinus interpretatur, videmus tamen, sanctum hunc regem reliquum vitæ suæ spatium in pœnitentiæ austeritatibus traduxisse. Lavabo, ait ille, per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo . . . Vin' scire, Sanctus Chrysostomus inquit, quomodo facere possis fructus dignos pœnitentiæ? vitam ducendo prorsus aliam ab ea, quam antea ducebas. Habesne aliquid alienum? Non solum hoc restitue, sed tuum etiam tribue. Illicitisne voluptatibus vacasti? ab illis etiam abstine, quæ licere videri possent. Nimio te mero proluisti, ac abdomini tuo indulsisti? hoc malum austeris repara jejuniis. Aliquidne fratri tuo aut dictis, aut factis obfuisti? id beneficii, bonisque pensandum officiis est; etenim, hic Pater ait, non satis est spiculum revellere de corpore illius, qui vulneratus est, præterea necessaria adhibenda sunt remedia, ut vulnus ad cicatricem vocetur. A malo desistendum est, ac incipiendum est facere bonum. *Idem.*

Certum est, pœnitentiæ proprium esse peccata delere; sed non ideo credendum est, quolibet pœnitentiæ genere quodlibet peccatorum genus deleri. Ut intelligamus autem, quam severa esse debeat, notandum est, pœnitentiam duos producere effectus. Hæc Dominum lenit, hæc inferni ignem extinguit; sed ut Dominum flectat, concitet opus est peccatorem in ipsum, atque efficiat, ut in hunc Dei ira pertranseat: *In me transierunt iræ tuæ*. Ps. 87. Ut autem inferni ignem extinguat, opus est, ut hæc pœnitentia, quæ in terris divinæ justitiæ munere fungitur, aliquam habeat proportionis speciem cum infinitis cruciatibus, a quibus liberat. Num aliquid ultra requiritur, ut inferatur, quam severa esse debeat pœnitentia? Ideo Tridentinum Concilium docet, Christiani hominis vitam jugem esse debere pœnitentiam. *Idem.*

Pœnitentia licet severa, suavis debet videri propter mala, a quibus liberat.

Christiana pœnitentiam in magnis consistit gemitibus, laboribusque, quos a nobis divina exigit justitia. Acerbum est, Tertullianus ait: iis in artubus, qui sensu maxime valent, experiri vel ferri duritiem, vel ignis cruciatum, vel auctos pulveris cujusdam dolores, quæ carnes ipsas permeat, easque ad vivum usque depascit, sed hæc remedia quantumvis violenta ab eo sustinentur, qui curari vult, non solum patienter; verum etiam festinanter conquiruntur. Peccavi in Deum, ac periculum est, ne in æternum peream. Ideo pergit hic Pater, sustineor, patior, ac me ipsum torqueo, ut redeam in gratiam cum illo, quem meis criminibus læsi: *Deliqui in Deum, periclitor in æternum perire: itaque nunc pendeo, & maceror, ut Deum reconciliem mihi, quem deliquendo læsi*. Tertull. lib. de pœnit. c. 11. Facere pœnitentiam est abdicare commoda corporis, & sensuum voluptates, minus temporis somno tribuere, quam natura postulet: illum gemitibus, ac suspiriis interrumpere, ejusque partem precibus impendere; deferre cilicium; pane, & aqua duntaxat uti, ac in pœnitentiæ opus transferre, quidquid fuit criminis instrumentum; ita demum vivere, ut omnino profanæ mundi hujus consuetudini moriaris. Ita hac de re loquuntur, sentiuntque Patres; variæ quidem esse possunt locutiones illorum, sensus vero sunt iisdem. Hujusmodi fuit, & adhuc magis severa pœnitentia primorum fidelium, qui homines erant, uti nos, sed longe minus nocentes, quam nos, quibus res non erat cum alio Deo, quam nobis, & qui non alium metuebant ignem, ac non. *Idem.*

Primi fideles non querebãtur, quod nimis severa esset pœnitẽtia.

Primi fideles intelligentes magnitudinem, atque æternitatem pœnarum, quæ sibi paratæ erant, avide ea arripiebant remedia, quibus præservandi erant, nec illa relinquebant unquam. Tantum aberat, quod murmurarent contra rigorem Ecclesiæ, a qua pro uno tantum scelere districtæ plurimorum annorum pœnitentiæ addicebantur, ut Dei misericordiam adorarent, qui dignaretur perfunctoriam admittere pœnitentiam pro expia-

expiatione peccatorum, quibus æternus ignis debeatur. His sensibus acti, atque suffulti pœnitentiæ nonnisi cum morte finem imponebant, & quasi vererentur, ne satis diuturni dies essent ipsorum, severitati pœnitentiæ id tribuebant, quod metuebant, ne illius tribuere possent diuturnitati. Plerique fidelium hodierna die hunc sibi infelicem efformant habitum, quo totum vitæ suæ spatium traducunt confitentes peccata, quæ patrarunt, & patrantes illa, quæ confessi sunt, atque alternis & criminum suorum, & suarum pœnitentiarum pœnitentiam agentes. Si hac in re mutata est Ecclesiæ disciplina, scitote, spiritum illius mutatum non esse, si aliquid de veteri severitate remisit, ut eos ad se vocaret filios a se recedentes, hæc, qua vobiscum utitur, indulgentia vobis terrorem incutiat; quoniam quilibet peccator vel in vita, vel post mortem, vel ipsius, vel Dei manibus puniendus est. Ita quo Ecclesia tenera hæc mater vobis se præbuerit faciliorem, eo Dominum magis severum experiemini, quo magis illius misericordia usi fueritis, eo plura justitiæ divinæ debebitis, quo pauciora illi in vita hac persolveritis, eo plura vobis persolvenda erunt in altera. *Idem.*

Non sufficit semel propter præterita peccata punire, in posterum abstinendum est.

Addamus, quod facere pœnitentiam est patrata peccata lugere, & non ultra committere ea, pro quibus ploratum est; unde sequitur satis non esse, severa pœnitentia commissa expiare peccata, sed ab illis esse cavendum, quæ committi possent, pœnitentia perseverante. Ad id corpus castigandum est, & in servitutem redigendum; opus est, esse præcinctos gladio Evangelii, quo jugulentur affectus, prout renascuntur, ut pravi naturæ corruptæ fœtus abscindantur, utque Domino immoletur, quidquid displicet in oculis ejus.

Qua in re temporis hujus Christiani pœnitentiam cōstituant.

Pœnitentia severa esse debet, nos vero illam constituimus in precibus quibusdam distracta mente recitatis, in levi aliquâ eleemosyna, quæ nullum nobis adfert incommodum, in jejuniis aliquot, ubi ad satietatem, atque libidinem non secus, ac in aliis epulis ventri indulgetur: denique debet esse perseverans, & plerumque dies una illam & orientem videt, & morientem. Post plurimos in scelere traductos annos animum appellere non possumus, ut unam tantum diem in pœnitentia vivamus; falso enim arbitramur, Dominum nostra nobis peccata dimittere; ubi ore tenus pellicemur non ultra ea nobis iri patratum; ita non adnitimur per pœnitentiam ea delere flagitia; quæ jam deleta supponimus, neque imposterum metuimus morbum, quia in remedii facilitate confidimus. Sed Tertullianus ait, ubi nullus timor, ibi nulla correctio, & ubi correctio nulla, ibi pœnitentia vana est & inutilis. *Idem.*

Sexcentis utitur prætextibus ac pœnitentiæ necessitatem eludēdam.

Quantumvis omnibus hominibus essentialis sit pœnitentia, quid non conantur plerique, ut sese ab illa dispensent? Quot utuntur rationibus, vel melius dicam prætextibus ad eas omnes, quas nobis irrogat Ecclesia, eludendas? Opinantur, exempli gratia, Quadragesimale jejunium servari non posse, quin detrimentum aliquod valetudo patiatur, quamvis numquam fortasse fuerint; experti: utque onere conscientia levetur, vel potius ut illius stimuli obtundantur, id in medicorum conscientiam rejicitur, quorum plerique nimis facile veniam concedunt, quamvis sæpe ab petentibus illam decepti. Ab ipso etiam Pastore officiose facultas exquiritur, & jam se ad nihil teneri arbitrantur. *Idem.*

Pœnitentiæ fastidium prohibet ne plurimi convertantur.

Dicere possumus, metum, ne pœnitentiæ nos tædeat, vulgatissimum esse obicem plurimorum peccatorum conversioni. Videntur quidam, qui *lassati in via iniquitatis* experiuntur ipsum peccatum esse pœnam peccatoris; qui, quin inde ullam percipiant dulcedinem, amaritudine dumtaxat perfunduntur, qui sub dæmonis jugo gemunt, & adeo miseram vitam ducunt, ut aliis, & sibi sint graves. Licet in adeo deplorabili statu versentur, quis credere posset, ipsos in animum sibi inducere non posse, ut vitam mutent? Si quid conantur ad Deum reversuri, cum Ecclesiæ præcepto jubentur; ubi eam quæ sibi irrogata fuerit pœnitentia, persoluturi sunt, nausea, tædioque efficiuntur. *Idem.*

Vox, quæ nobis intonat, *facite pœnitentiam*, vox est justitiæ simul, & misericordiæ, quæ peccatoribus de seipsis judicium permittunt. Ne dixeris ergo verbum hoc facite pœnitentiam, verbum esse durum; sed memento, quod S. Bernardus ait, longe durius futurum illud audire verbum: *ite in ignem æternum*. Gravissimus quisque pœnitentiæ labor videtur levis rite considerantis æternitatis supplicia. Tandem enim ne putes ullam te inventurum esse rationem, qua alterutrum vites, necessario eligendum est: sed cogita hanc felicem esse necessitatem: etenim per pœnitentiam tua dissolvens debita simul immensa congregas bona, atque cessans Dei esse inimicus adscriberis in albo filiorum ejus, qui ad regni coronam possidendum sunt destinati. *P. Dezanne in morali Jesu Christi.*

Crux ultro in spiritu pœnitentiæ subeūda, gestandaque est.

Per voluntatem nostram peccavimus; ex voluntate nostra igitur pœnitentiam agamus oportet. Charitas efficere debet, ut boni fructus inde oriantur, unde per cupiditatem fructus mali prodierunt. Hæc ea est regula, quam Sanctus Paulus primis præscribit fidelibus dicens, quemadmodum fecisti, ut corpus tuum iniquitati deserviret, fac, ut imposterum operibus justitiæ deserviat; sed quisnam ita generosus est, ut ipse ultro cruci se affigat? Ubinam voluntariæ cruces inveniuntur? Plurimas quidem video coactas, necessarias, & inevitabiles; ad summum aliquas video, quæ tolerantur, quæ acceptantur, quæ non iniquo animo feruntur; sed longe paucissimas, quæ conquiruntur, exoptantur. Voluntariæ cruces habentur tamquam pars eorum, qui Deo sese devoverunt: ex mundo ejiciuntur, ubi maximum earum esset opus, & in deserta amandantur, ubi ut plurimum regnat innocentia: quasi crux, & pœnitentia pro illis tantum essent, qui minus nocentes sunt... Anima vere christiana, quæ se pœnitentia indigere cognoscit, & quæ salvari vult, non magis sine cruce esse deberet, quam sine fide, & religione. Igitur in toto vitæ nostræ decursu illum S. Pauli morem imitemur, quem hactenus nimium negleximus: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes*. 2. Cor. 4. *Tiberge in recessu christiano.*

Sententia S. Ambrosii de pœnitentia.

Cum vero pœnitenti persuasum sit peccata sua vel in hoc, vel in alio mundo esse punienda, vel per manus Dei, vel per suas; cum agitur de flectenda ira Dei, quæ in ipsum irritata est, & evitando inferno, quem meritus est, punit in se quidquid noxium est, atque ad criminis sui reparationem impendit, quidquid ad illud ipsum perpetrandum contulit. Hoc erat monitum, quod olim tradebat S. Ambrosius virgini lapsæ: succide has comas, quæ vanitatis tuæ causa, lapsusque tui occasio fuerunt, scribebat illi; oculi, qui noxios circumundique tulerunt intuitus, fiant duo fontes lacrymarum; hæc facies, cujus speciem, & decorem ut haberes in pretio impudicus amor effecit, pallescat, & emacietur: verbo, pœnis, ac jejuniis totum hoc corpus afflige, ob cujus pulchritudinem tibimet complacuisti; illud cineribus adsperge, ac indue cilicio, ita ut horrorem dumtaxat imposterum excitet. *Abbas de Monmorel sermone in Evangelio Dominicæ 3. post Pentecost.*

Apage carnales Hæreticos, qui in quolibet pœnitentiæ genere nil ultra requirunt, quam peccati cessationem, ac vitæ novitatem; qui prætexentes pœnitentiam alterum esse baptismum contendunt, peccatum nobis, non secus ac in primo, remittendum esse gratiis, sine ulla sanguinis, aut lacrymarum effusione. Hic profecto secundus est baptismus; sed in hoc a primo diversus, quod in illo peccata remittuntur per quamdam regenerationis speciem, & ut ita dicam, per alteram quamdam regenerationem; cum e contra in exomologesi remissio nobis conceditur per modum curationis, atque pharmaci, ideoque cum dolore, abstinentia, & victus ratione. *Auctor sermonum christianorum sermone de sensibus pœnitentiæ.*

Ultro pœnitentiam horremus.

Liquet sane, homines pœnitentiam, non secus ac ægros pharmaca perhorrescere: quis enim curari nollet sine dieta, amaritudine, dolore? Caro difficilium est inimica, & quemadmodum ambigendum non est, quo minus medicus indulgens, qui novacule, & phlebotomiæ usum damnaret, præ cæteris vulgo acceptus esset: ita mihi persuadeo, paucos esse peccatores, qui minime cupiant, artem, inveniri medendis vulneribus animæ suæ, quin ulla opus sit operatione vel in vulnus ipsum, vel corpus. *Idem.*

Hodie pauci agunt pœnitentiam.

Heu! Non est amplius tempus, Auditores, hortandi fideles, ut eas amplectantur pœnitentias, & satisfactiones, quibus sua scelera superentur. Vix audemus nosmet intra eos continere terminos, quibus Apostolus, & Tridentina Synodus utuntur; pœnitentiam saltem congruam esse debere vestris flagitiis. Religionis sensus in vobis adeo infirmi sunt, tantaque mollities, ut non ferendam existimetis austeritatem id, quod Sanctus Paulus indulgentiam quamdam erga vestram infirmitatem existimat: *humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ*. Ad Rom. 6. Frustra vos Apostolus admonet, ut ad pœnitentiam agendam id usurpetis, quod fuit instrumentum peccati: *Sicut exhibuistis membra vestra &c. ita exhibete &c.* Frustra vobis videntur, Sancti hanc regulam amplexi fuisse, eamque fideliter observasse. Ne istic ea enumeranda aggrediamur, quæ mei non sunt argumenti, silentio prætereamus rigidas austeritates, quas tot seu veteris, seu novæ legis pœnitentes exercuerunt; consideremus tantum præceptum, quod nobis in Evangelio irrogatur. *P. Giroust sermone de S. Magdalena.*

Intelli-

Vera pœnitētia quomodo facienda.

Intelligite, quid Sanctus Joannes Baptista in Evangelio vos doceat, ne vobismetipsis parcatis, ut palam in eas partes concedatis, pro quibus vobis standum est, ut Domino reddatis, quidquid illi abstulistis, & secundum Sancti Pauli sententiam, adnitamini glorificare Deum per ea, quæ fuere criminum vestrorum causa, & instrumentum: *Sicut exhibuistis membra vestra &c. ita exhibet &c.* Hoc vere est *competentem facere pœnitentiam*. Hoc est directe pravos destruere habitus actionibus contrariis, quemadmodum Synodus Tridentina præscribit: hoc est bona fide satisfacere Deo. *Idem.*

Necessitas ferendi fructus dignos pœnitentiæ.

Hæc fructus pœnitentiæ dignos ferendi necessitas duo dicit; innuit primum, peccatori ferendos esse fructus pœnitentiæ; alterum vero, ferendos esse dignos fructus pœnitentiæ. Maxime naturalis horum verborum explicatio est, peccatori peccata sua non solum per pœnitentiam esse expianda; verum etiam pœnitentiam sufficientem esse non posse, nisi fuerit peccatis accommodata. Itaque en quid proprie intelligendum sit pro fructibus dignis pœnitentiæ; congrua videlicet pœnitentia, diuturna, severa, cum peccata enormia sunt, & gravia. Semper tamen de pœnitentia, quatenus virtus est, loquitur, sine qua Deo pro peccatorum reliquiis satisfacere minime possumus. Patres omnes hanc pœnitentiæ necessitatem affirmantes non prætermiserunt opus esse, eam, ut sufficiens sit, peccato competentem esse debere. Ita S. Cyprianus loquitur; gemitus, ploratusque nostri deceant magnitudinem scelerum nostrorum; profundis vulneribus salutaria adhibeamus remedia, neque minor scelere sit pœnitentia. Nemo dicat, severa hæc dogmata primorum sæculorum puritati convenire; non esse amplius in hominibus zelum eumdem: indulgentia utendum esse: Ecclesiam plurimum pristinæ severitatis remisisse, eamque non cogere amplius filios suos, ut sese submittant omnibus austeritatibus, quæ a Sanctis Patribus, veteribusque Canonibus institutæ fuerunt; quæ si quis effutiat, huic respondendum est, Sanctos Patres cum docuerunt pœnitentiam peccato esse debere convenientem, eam protulisse veritatem, quæ mutari non potest, & quæ in omnia sæcula subsistet . . . . . Verum est Ecclesiam in iis, quæ ad disciplinam pertinent, plurimum de austeritate sua remisisse: permittit exempli gratia, ut absolutionis gratia citius, & facilius, quam olim conferatur: sed quod ad eam, quæ ad essentialia pœnitentiæ dogmata spectant, Ecclesia nihil remisit, neque remittere potest. Judicate, utrum mens illi fuerit unquam dispensandi fideles, ne congruam peccatorem magnitudini pœnitentiam adimpleant, & videte, quomodonam hac de re in Concilio Tridentino loquatur, ubi Domini ministris præcipit, ut easdem illis imponant. *Lambert homilia in diem festum S. Matthæi.*

Cuinam rei innitatur rigor satisfactionis pro peccato exhibendæ.

Satisfactio in essentia sua considerata nil aliud est, quam compensatio pœnæ æternæ, quam Deus nobis remisit peccatum dimittens, per temporalem pœnam pro æterna, quam meriti sumus. Si hæc definitio bene fuerit intellecta, liquebit, quousque procedere debeat hæc pœna temporalis, & inferetur, non tam levis esse debere, uti existimatur. Tandem enim si in compensatione nequaquam perfecta exigitur æqualitas inter id, quod pensat, & pensatur; aliqua tamen ratio, & proportio debet inveniri. Si non tenemur tantum dare, quantum nobis remittitur, dandum tamen est saltem tantum, quantum pro viribus possumus. Porro qui peccans infernum promeritus est, hoc est, pœnam quodammodo infinitam, hiccine servat justæ compensationis regulas, cum satis esse putat, aliquot blatterare preces sine ulla cordis contritione, & sine ulla devotione? Qui toties æternum meritus est ignem enormium criminum tanta multitudine, creditne se Deo, officioque suo satisfacere, & aliquam servare proportionem, eumdem pœnitentiæ, atque confessionis ferme finem faciens; intra paucorum dierum, vel etiam horarum spatium coarctans pœnitentiam criminum, quæ plures annos permanserunt? *P. Nepveu in modo sese præparandi morti.*

Dei Sapientia elucet in satisfactione, quam a peccatoribus expetit.

Ecclesiæ Patres, & Tridentinum Concilium pœnitentiam laboriosum vocant baptismum; & hoc Concilium Sacerdotibus præcipit, ut peccatoribus irrogent competentes peccatis pœnitentias, ne, si nimis ignava indulgentia leves inflixerint pœnitentias gravibus culpis, seipsos temere eo obruant onere, quo alios exonerare contendunt. Pœnitentia congrua esse debet primum magnitudini, & gravitati peccatorum. Hoc explicite docet magnus ille Doctor, itemque pœnitens insignis S. Augustinus: *In satisfactione*, ait ille, *ingentium peccatorum non verba tantum, sed & opera quæruntur*. Pro gravium satisfactione culparum non verba solum, hoc est, non vocales tantummodo preces, sed lacrymæ, gemitus, ingentes eleemosynæ, & longa jejunia quæruntur: *Addendæ sunt lacrymæ, gemitus, uberiores eleemosinæ, continuata longo tempore jejunia.* Pœnitentia secundo congrua esse debet peccatorum multitudini, & diuturnitati. Et sane nonne mirum est, homines qui in scelere consenuerunt, &, ut ita dicam, incanuerunt sub jugo iniquitatis qui plures annos in mundana, & flagitiosa vita duxerunt, pœnitentiam suam ad aliquod dies, & fortasse etiam aliquot horas redigere velle? Opus esset, ut qui ferre semper peccarunt, semper plorarent, & illi, qui fas sibi esse voluerant nequissimas voluptates, eas etiam, quæ legitimæ sunt, sibi interdicerent. Pœnitentia denique congrua esse debet qualitati peccatorum, primum in rebus essentialibus. Ita qui aliena habent bona, non solum animum appellere debent ad ea restituenda, verum etiam ad id quamprimum faciendum: qui alienæ existimationi labem offunderunt per obtrectationem, delere tenentur id, quod fecerunt, eo modo, quo efficacius id fieri possit: qui cum scandalo vitam duxerunt, tenentur reparare scandalum publica pœnitentia, & insignibus veræ conversionis argumentis. *Idem.*

Poterat Deus peccati satisfactionem obtinere, vel illud summa cum austeritate puniens, vel illud dimittens, quin aliquam peccatori pœnam irrogaret, infinita usus misericordia; vel denique justitiam simul, & misericordiam commiscens, ita ut peccatori gratiam concedens peccatum puniret, alterum quidem per justitiam puniens, altero per clementiam servato. Tertia hac ratione uti voluit, quippe quæ sapientiæ suæ magis erat conformis, illi crimen dimittit, & pœnam, quæ esse debebat æterna, in temporalem convertit. Si enim peccatum summa cum severitate punisset, illud non expiasset; si illud nulla peccatoribus irrogata pœna dimisisset, illi divina abusi fuissent clementia, atque iteratos, jugesque lapsus in jocum traduxissent. Itaque ut vallum aliquod objiceretur torrenti iniquitatum, quæ totum terrarum orbem inundassent, peccatores coercere quidem voluit metu æternarum pœnarum, quas iisdem altera in vita præparat; neque in hac peccatum illis dimittere voluit sine ea satisfactione, quam justitia ipsius in pœnitentia nanciscitur. *In specimine sermonum pro adventu.*

Deus in satisfactionibus nostris nihil ultra vires nostras requirit.

Cum aliquid mortalibus debemus, hi ad extremum usque quadrantem jus suum persequuntur, sed quantumvis parum tribuamus Deo, hoc illi satis est. Virium tuarum imbecillitas non patitur te ipsum magnas exercere austeritates, fac eleemosynam: hoc tua prohibet egestas, ora: neque prolixas fundere preces vales, per intervalla mentem attolle ad Deum. Pauperes, & æger, patienter hanc sustine paupertatem, & ægritudinem; adde passiones tua crucis sacrificio, & cum Jesu Christi passionibus commisce. Deus commodus creditor est, qui omnia recipit in satisfactionem, & nihil ultra vires nostras exquirit. *Ibidem.*

Admirabile quidem est divinæ opus providentiæ, cui ne animum quidem advertimus, & quod nihilominus magnum esse deberet grati animi nostri erga Deum argumentum, res easdem, quibus prævertimur, ubi volumus, eas esse, quibus sanctificamur, & mirabili gratiæ, atque charitatis effectu, quin extra nosmet egrediamur, nos invenire malorum nostrorum remedium in iisdem instrumentis, quibus ad eadem perpetranda mala usi sumus. Hæc erat Sancti Pauli mens, cum juxta hoc principium ratiocinatus Romanis explicat, quanam in re christianæ pœnitentiæ essentia consistit, ac illis dicit: *Sicut exhibuisti membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Ad Rom. 6. In hoc enim conversio vestra sincera videbitur, si quod in vobis erat peccati instrumentum, fiat vestræ pœnitentiæ materia; si quod prophanastis, cum mundo deservieritis, Dei servituti devoveatis, eique victimam, & holocaustum justitiæ ipsius dignum offeratis. Hoc illud argumentum est, secundum quod veram a falsa pœnitentia secernere debetis. *P. Bourdalove in sermonibus sub ejus nomine editis, sermone S. Magdalena.*

Quam severa esse debeat pœnitentia.

Quemadmodum mollities me amovit a Deo; ita severitas eidem rursus admovere me debet. Quamobrem pœnitentia vestra severa esse debet, ac diligens; quare? quia in hoc judicio Deus vobismet vos tradet ipsos; deleat, opus est, pœnitentia vestra in vobis vestrum amorem proprium, quod facere nequit, nisi per sanctæ, & innocuæ austeritatis zelum. Si alii a nobis essent damnandi, atque de eorum nequitia judicium ferendum, quousque severitas nostra procederet? Cum autem de nobis agitur, quorum idololatræ sumus, & quos non solum unice, verum etiam deli-

cate

cate diligimus; quid nobis consilii capiendum est, quod abhorreat a severitate? quam nisi amplectimur, nonne gravissimam committimus injustitiam? Nonne millies experti sumus ea, quæ nobis patrantibus levia videntur, in aliis monstra videri? Id quod in nobis atomi instar videtur, in proximo immane portentum visum fuisse? Quænam rei hujus est causa? amor proprius. Hunc autem quomodo oppugnare possumus, nisi per pœnitentiæ austeritatem? Ipsa etiam vitia nostra diligimus, affectiones nostras virtutum loco habemus, & quod in aliis est non ferendum, nobis mite est, & jucundum. Attamen hæc omnia per pœnitentiam delenda sunt; opus est ut quamvis in causa nostra incorrupti judices simus, & ratio, qua esse possumus, est nosmet judicare, atque in nosmetipsos acriter animadvertere. *Idem*.

Pœnitentiam quantumvis severam non debemus perhorrescere.

Pœnitentiæ severitas nihil habet, o Fideles, quod nobis grave debeat videri, & qui illam extimescunt, eamque tanquam monstrum in via salutis comminiscuntur, hanc minime norunt. Etenim ad quid severitatis hujus essentia redigitur? ad ea, quæ ratio nostra non probare non potest, & quibus licet invita se se submittere debet; veluti ad evellendam ex cordibus nostris peccati affectionem, ad reparandam injuriam, quam a nobis proximo illatam fuisse cognoscimus; ad amovendas occasiones, quas in peccatum nos impellere ipsi fatemur, ad pœnas, quas nobis irrogat Ecclesia, subeundas. In his autem aliquidne est, cui ratio nostra non subscribat? Et licet in illis aliquid molestum occurreret, numquid jure conqueri possemus? Res in eo vertitur, ut in me eam fussocem cupiditatem, quam omnium malorum meorum originem esse cognosco, quæ efficit, ut mei obliviscar, & quæ cum officio meo simul esse non potest. Numquid injurius mihi Deus est præcipiens ut illam convellam? At enim id nequeo, quin mihimet vim faciam? verum nonne ideo mihi amabilis esse debet pœnitentia, quandoquidem nonnisi per hanc vim salvare me possum? Si lethali vulnere confossus fuissem, & manus auxiliatrix amarissima sectione mihi mederetur, numquid de hujus severitate justa esset querela? Pro anima vero difficile illud mihi esse debet remedium, quod pro corpore non videretur? Attamen hæc est rei illius, quam a me poscit Deus, essentia, ut videlicet oderim, quod me perdit, meæ incolumitati consulturus. *Idem*.

Quid sit homo vere pœnitens.

Quid est homo vere pœnitens, atque contritus? Homo est, inquit Origenes, qui, ut Job, indefinenter suam carnem affligit, atque jugiter cum suo dolore interdiu, noctuque versatur; adeo hic illi familiaris est: Homo, qui, ut David, neque intra, neque extra se ullam invenit requiem, ubi sua peccata recogitat: *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*. Psal. 37. peccatorum: quorum amaritudo quibuslibet voluptatibus fel, & virus adspergit; peccatorum, quorum intolerabilis pondus eum obruit, cumque semper incurvatum tenet, ut nullam ei in vita voluptatem relinquat; peccatorum, pro quorum expiatione numquam aulæ delicias gustabat, noctes, quibus aliquid quietis carpere poterat, transigens coram Deo in amaritudine doloris sui propria eluens peccata . . . Job affligebat carnem suam: vos autem quomodo vestram? Nonne e contra solliciti admodum estis, ut quidquid illam incommodare potest, arceatis? Ille dies, noctesque cum dolore suo versabatur: vos autem veram vestri doloris causam recogitatis? Si ullum habetis dolorem, numquid ob peccata vestra doletis? Si ob hæc doletis, numquid hic dolor dolorem ipsius imitatur, qui vobis semper sit præsens? Gemebat David sub peccatorum suorum pondere, quod sustinere non poterat; *Tamquam onus grave gravatæ sunt super me*: vestram autem vobis nequaquam onus videntur, vel onus satis commodum, cui cum voluptate humeros subjicitis. *Ex morali Dictionario, Sermone secundo de Contritione*.

Quid olim decretur facere pœnitentiam.

Olim facere pœnitentiam erat dies, noctesque gemere, ut olim David; nonnisi ægre, & gravate vesci, ut Job; cilitio indui, atque cineribus adspergi, ut Ninivitas; fibi inter horrentes solitudines tumulum effodere, ut Thaides, Ægyptiasque Marias; totum corpus ferreis aculeis laniare, & sanguine terram exilii sui fœdare, uti veteres Anachoretas; nudis carnibus loricam sibi clavis configere, ut æstate quidem calore, hyeme vero frigore contabescerent, ut SS. Guillelmos; publice in templo sua peccata deflere, humi regiæ majestatis ornamenta prosternere, & coram ingenti populo cum fletibus, & lacrymis veniam exposcere, ut Theodosios. Post hæc exempla, temperamenti gracilitas, ætatis, ac sexus distinctio, honoris cura, conditionis, & dignitatis privilegium meræ estis excusationes. Satis est semel mortaliter in vita peccasse, ut æternum lugendum sit, si æternum vitæ spatium permitteret Deus, Tertullianus inquit: *Semel peccasse satis est ad æternos fletus*. Denique ut hoc ipsum vobis dicam eo modo, qui vos terreat minus, numquam pœnitentiæ vestræ integritatem, & perfectionem, quam habere debet, tribuere potestis, nisi Deo convenientem peccatorum vestrorum satisfactionem præbestis. *Idem*.

Omnes agere possunt pœnitentiæ bono afflictionum suarum usi &c.

Quotodo vero agi pœnitentia potest eo modo, quo flagitat Deus, ut justitiæ ipsius austeritati fiat satis? Deus, qui neminem dispensare voluit, singulis id præstandi adminicula præbuit. Quin conqueramini de ea servitute, cui vos vestra mancipant officia, immo illam existimate veluti aptissimum adminiculum, quo debita vestra erga justitia Dei dissolvere valeatis. Dignatur ille vobis merito adscribere ea ipsa, a quibus legitime vosmet dispensare non possetis. Dignatur ille satisfactionibus, quas illi debetis, adscribere hos dies, atque horas, quibus pro illo aliquid quietis, ac voluptatis muneribus status vestri impenderitis ... Quæ nam consolationis causa, quodnam majus divinæ erga nos bonitatis argumentum, scire, nos illi satisfacere posse non solum per eas pœnitentias, quæ ab ejusdem ministris irrogantur, verum etiam per cruces, & afflictiones, quas ipse nobis immittit, inquiunt Patres Tridentini Concilii? Quotusquisque est, cui nihil accidat adversi? Modo simulati amici perfidia; modo irreconciliabilis inimici vexatio. Hos lis aliqua perdit, illos bonorum jactura ad egestatem redigit. Hos diuturna, & molesta ægritudo torquet; illos accepta urit contumelia . . . Verbo singuli suas habent pœnas, & cruces, sed singuli etiam in crucibus suis invenire possunt, quid pro peccatorum suorum reliquiis Deo solvant; Deo inquam, qui ita bonus est, qui sibi satisfieri dignatur per ea, a quibus, humanitus loquendo, vosmetipsos dispensare minime possetis, ne ea pateremini; dummodo in pœnitentiæ spiritu, & non sine submissione nutibus ejus eadem patiamini. Vis, Domine, me pauperem esse, id ego quoque volo; si mihi opes essent, eleemosynis meritoria mihi opera compararem; sed quoniam hoc mihi integrum esse noluisti, fiat voluntas tua. Si mihi reditus essent, & prædia, majori fruerer tranquillitate: sed quoniam ad victum comparandum opus est, ut frontis meæ sudoribus exerceam, libenter huic me labori subjicio, quæ in crimiuum meorum satisfactionem offero tibi. Si melius valerem, me ipsum abstinentia, jejunioque mortificarem, sed cum ætate confectus, viribusque effœtus sim, excipe, Domine, pœnas, quas meæ mihi pariunt infirmitates. *Idem Sermone secundo de Indulgentiis*.

Credendum non est, post absolutionem peccatum prorsus dimissum esse quoad debitum pœnam.

Quis nostrum scire potest, quandonam pro peccato suo satisfecerit Deo? Profecto ad justificationis gratiam percipiendam satis est in pœnitentiæ Sacramento sua aperuisse peccata cum vero dolore, quod patrata fuerint, ac sincera non ulterius eadem patrandi voluntate; sed remanet semper obligatio satisfaciendi divinæ justitiæ, quod cum minime fit, argumento est, sincerum dolorem æque, ac efficacem satisfaciendi cupiditatem deesse. Quomodo vero sine peculiari revelatione integram habere non possumus certitudinem, utrum peccata nostra dimissa fuerint quoad culpam, ita neque habere possumus, utrum pro illis omnino satisfecerimus. Nescit Ecclesia, quousque hæc procedere debeat satisfactio. Cum ministri aliquam peculiariter pœnitentiam irrogant, non ideo tamen contendunt, eos, postquam illam expleverint, ab omni satisfaciendi necessitate esse immunes; aliquam sane pœnam præscribunt, sed divinæ justitiæ jura, & pœnitentiæ officia ad hanc satisfactionem, quam designant, nequaquam coarctant. Peccatori semper remanet districta necessitas reparandi injuriam divinæ illatam majestati, debetque ille huic reparationi operam dare usque ad mortem, quam recipere debet tanquam sacrificii sui consummationem, postremumque actum ejusdem sacrificii. Vita Christiani Deo veræ satisfacere cupientis esse debet, S. Augustinus ait, jugis pœnitentia, ut mortificationis rigor inordinatam cupiditatem coerceat: *Violenta pœnitendi debet coercere consuetudinem peccandi*. *Sermo manuscriptus*.

Quam divinæ justitiæ satisfactionem præstare debeamus per pœnitentiam.

Si Deus sibimet reservavit ultionem injuriarum, quas nobis homines intulere, hac in vita reservat pœnitentiæ ultionem injuriarum, quibus ipse afficitur: *Pœnitentia est quadam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet in Deum admisisse*, S. Augustinus ait. Tandem enim peccatum, qualecumque sit magnum, an parvum, impune esse non potest; illud homo in seipso punire debet voluntariis suppliciis, vel illud punire debet Deus in homine justitia sua. Non alia superest

ratio leniendi iram ipsius, atque ultiones ejus avertendi, quam congrua satisfactio; ita pœnitentia servare debet proportionem inter eas pœnas, quas peccatoribus infligit, & eas injurias, quibus illi Deum per peccata affecerunt. Ne vosmet decipiatis, ajebat hac mente S. Cyprianus. Ira Dei, quem irritastis, non ita facile, uti censetis, lenitur; non adeo illius flectitur misericordia; non tam cito sibi illate oblivisciturcontumeliæ: *Putasne tu Dominum cito placari, putasne, cum facile misereri, quem suum non esse dixisti?* Haud ita, inquit ille. Plena, & integra satisfactio offerenda est Deo, ut plena venia obtineatur. *De la Fons, Discursu in quartam adventus Dominicam*.

Veram est, Ecclesiam sapienter indulgentem vel imbecillitati, vel modico filiorum suorum zelo nequaquam observare antiquam severitatem, qua absolutionem, nonnisi postquam diutina expleta inerat pœnitentia, concedebat; sed quamvis aliquid per prudentiam de veteri disciplinæ severitate remiserit, ipsa tamen non dispensat peccatores a necessitate faciendi dignos fructus pœnitentiæ. Neque enim credit Deum omnino leniri posse, quin confugiendum sit ad laboriosa pœnitentiæ exercitia. Etenim quoniam idem Deus nunc læditur, eadem nunc scelere perpetrantur, & perpetrantur ab illis, qui ad earumdem legum observantiam tenentur, nonne palam constat Deo eidem alia ratione omnino satisfieri non posse? Non minus hodie, quam olim verum est, ad iram Dei prorsus flectendam offerendam esse illi satisfactionem scelerum magnitudine parem. *Idem*.

De pœnitentiæ baptismo.

Inter eam remissionem peccatorum, quam per aquæ baptismum consequimur, & eam, quam per pœnitentiam obtinemus, hoc discriminis intercedit, quod in priori illo facile, modicisque sumptibus acquiritur, in altero vero plurimis opus est lacrymis, gemitibus, atque suspiriis, & nonnisi pluribus laboriosis exercitationibus comparatur. Hoc item alterum adest discrimen, quod in priori peccata nostra omnino delentur, & simul omnia quoad pœnam, & culpam, cum in pœnitentia Deus manum suam coarctet, & nobis Jesu Christi applicans merita culpæ, ac pœnæ veniam partiatur. Concedit ille quidem nobis omnium criminum nostrorum veniam, cum eum afferimus dolorem, aliasque dispositiones, quæ sunt necessariæ: nobis remittit æternitatem pœnarum inferni, quas criminibus nostris meriti sumus; sed hæc æternitas in temporales pœnas mutatur, quarum ipse sibi reservat jus, nisi eas pœnitentia criminibus nostris congrua redimere conati fuerimus. *Idem*.

De necessitate agendi pœnitentiam generatim.

Seu Deus per seipsum loquatur, seu ministrorum suorum organo utatur, nihil video, cujus frequentius occurrat mentio, & de quo apertius verba faciat, quam pœnitentia. Sacra Biblia, quæ Dei oracula. Vetus, Novumque continent Testamentum, aperire nequeo, quin in singulis fere paginis aliquam inveniam magni momenti veritatem, quæ ad pœnitentiam pertineat. Primum, quod innocenti adhuc homini Deus protulit verbum, est gravem illi pœnitentiam imponere, si per summum nefas divinum violaverit imperium. Deinde vero ubi secundo cum eodem collocutus est, duram hanc illi pœnitentiam imposuit, quia Domini non extimuit minas, & quia factus est prævaricator mandati, quod tanta cum facilitate exequi poterat. Prophetæ non loquuntur nisi ut rebellem populum ad Deum per pœnitentiam redire compellant. Sanctus Joannes divinus ille præcursor destinatus, ut præpararet vias ejus, qui venturus erat, ut mundi peccata tolleret, missionem suam inde exorsus est: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, & ille cujus ipse præcursor fuit, suam eodem incipit pacto. Nisi pœnitentiam egerimus, certissime peribimus. Denique Apostoli, & qui eorum locum obtinere debent, non aliud sunt, quam imago divinæ hujus vocis ad pœnitentiam prædicandam. *P. Massen Oratorii Presbyter Sermone duodecimo Adventus*.

Pœnitentia aliquam habere debet rationem, & proportionem cum gravitate peccati.

Primum, quod spectet pœnitentia, est Deum contra scelera nostra irritatum lenire. Peccatum tale pondus est, ut si hoc in altera libræ lance statueretur, in altera vero quidquid boni humana, & angelica natura simul efficere possunt, illud præponderaret; peccatum enim infinitam continet improbitatem propter infinitum objectum, quod lædit; atque Theologi asserunt, quamvis inferni pœnæ extremæ sint, & quamvis omnes omnium damnatorum pœnæ simul essent conjunctæ, has tamen nequaquam exæquaturas esse supplicium, quod peccatum meretur; quamobrem tenent, Deum aliquid semper misericordiæ admiscere cum justitia sua, atque longe mitius punire, quam mereamur: *Citra condignum*. Porro cum hæc sit peccati natura, cumque Deum eousque irritet, ut cogat illud in omnem æternitatem punire; cumque pœnitentiæ finis sit lenire illum, & efficere, ut peccator æternas pœnas evitet, quænam esse debet ejus severitas, quandoquidem non vult aliquid sui juris amittere? Ita Sanctus Bernardus pœnitentiam vocat, *compendium gehennæ æternæ*, seu quod pœnitentia efficere debet, ut peccator diu patiatur; seu quod hic extrema quæque pati debet; seu quod cum corpus, & anima simul aliquid peccato ejus contulerint, opus est, utrumque simul aliquid satisfactioni conferre. *Idem*.

Videtur Deus, Tertullianus inquit, mercatorem imitari, cum omne illi dissolvitur debitum: explorat enim, ac periculum facit pecuniæ, quæ sibi persolvitur; videt, utrum sequioris notæ, ac adulterinum sit argentum, utrum derosum, ac pondere imminutum. *Examinat neve scalptus, neve rasus, neve adulter*. Hoc ipsum Deus operatur: peccata nostra sunt debita, quæ cum illo contrahimus: pœnitentia pecunia est, qua illi satisfacimus. Considerat ergo, & scrutatur, utrum pœnitentia genuina sit, utrum debito congra utrum bona, & vera; utrum aliqua ex parte deficiat; raro enim Deo, uti opus est, satisfacimus, & perfecta pœnitentia ita rara est, ut S. Ambrosius terribilem hanc non dubitet propositionem proferre: facilius esse inveniræ, qui baptismi sui innocentiam servent, quam qui veram, perfectamque faciant pœnitentiam. *Idem*.

De pœnitentiis nimium levibus, quas Confessarii peccatoribus irrogant.

Magnus pœnitentiarum nostrarum defectus inde sæpe oritur, quod nimis leves sunt, & quod ne minimam quidem habent cum criminum nostrorum gravitate proportionem. Hæc agendi ratio habita nostri ratione a S. Cypriano vocatur: *Sub titulo misericordiæ malum fallens, & blanda pernicies*; agendi ratio, quæ quamdam nostræ infirmitatis miserationem, ac lenitatem prætexens nos fallit, ac nimia perdit indulgentia; ratio, quæ vi, & sanctitati Evangelii, legum puritati, & Ecclesiasticæ Disciplinæ regulis adversatur. Quid ex id genus pœnitentiis accidit? Accidit, quod fescentas nobis falsas nostræ religionis ideas concinamus, quod nostris abutimus sacramentis. Quid ultra? Accidit quod nullo in discrimine habemus Deum lædere, quoniam tam modico nobis stat impendio illi satisfacere; quod flocci facimus peccata omnia, quantacumque illa sint, quoniam adeo facile, atque tam modicis sumptibus absolvimur. *Idem*.

Non est amplius publicarum pœnitentiarum tempus, quantumvis enormia sint scelera, quæ patrantur: nemo sese amplius ante vestibulum templorum prosternit; non videntur amplius peccatores in cinere, ac cilicio coram populo sese peccatores confitentes. Ecclesia non præscribit amplius annos, quibus nobis plorandum, & jejunandum est. Sancti, & laudabiles hi mores obsoleverunt justi de causis; nobis inauditi sunt, & vix aliquod eorum nobis superest vestigium. Ubinam ergo reperies in tota vitæ tuæ ratione pœnitentiam numero, & magnitudini scelerum tuorum parem, nisi hanc tibimetipsi imposueris, & si per te ministrorum Dei viventis defectui suppleveris? Peccatores, qui me auditis, auderetis ne vosmet ipsos fallere rati, vobismet aliquam hujus generis irrogasse pœnam, atque clanculum vos fecisse, quod oriens Ecclesiam jussu suo facere vidit filios suos plurimorum annorum intervallo. Etenim quot per summam infelicitatem, non dico sese lethali noxa fœdarunt, sed in turpissimis vitiis marcuerunt, atque ideo fortasse infinita patrarunt sacrilegia; aures tantum adhibuerunt consiliis, quæ turpis cupiditas in corrupto corde excitare potest, & in scelere, ac improbitate consenuerunt? Idcirco divinæ justitiæ debitores sunt, atque, si secundum religionis nostræ principia agere voluissent, debuissent pœnitentiam aggredi saltem parem illi, quæ in primitiva Ecclesia fieri consueverat. Religio eadem est, nec sensus, nec vocem mutat. Hisce etiam di bus inevitabilem esse fateur hanc necessitatem peccata pœnitentiæ lacrymis eluendi, quod olim primos fideles docebat; & quamvis confessarii satis esse putent pœnitentiam levem, & pro sacramenti validitate sufficientem, non ideo tamen vos a pœnitentia dispensant, quæ congrua esse debet scelerum vestrorum enormitati, atque locum tenere pœnarum, quas meriti estis. *Pater Chamillard Sermone de Sancta Maria Magdalena*.

Non deest quædam præcautionis pœnitentia, quæ antidotum est contra peccatum.

Nullum peccatum est, præsertim vero cum plurium annorum spatio reiteratum est, quod in animabus nostris non relinquat fatalem erga malum dispositionem, & studium quoddam, quo rapimur ad illud rursus post ipsam etiam conversionem committendum, vel

vel si mavis, post crimen quædam reliqua est infirmitas, qua resistere valeamus occasioni peccandi, & cupiditati, quæ dominatur in nobis. Ita quamvis peccata nostra remissa sint, ac Deus ratam fecerit absolutionem, quam nobis contulit minister, cui ipse potestatem tribuit ligandi, atque solvendi conscientias nostras; quantumvis illa lacrymarum nostrarum imbribus eluerimus; quantumvis per pœnitentiam ad unguem divinæ justitiæ satisfecerimus, infirmitas ex peccato profecta semper in nobis remaneat, uti etiam studium illud, quo in malum ferimur, & fatales dispositiones erga quædam peccata. Hæc nobis sese obtrudunt, efficiuntque, ut indesinenter simus obnoxii periculo relabendi in abyssum, unde evasisse videbamur, numquam illuc reversuri beneficio secundæ hujus tabulæ, quam Deus toties nobis præbere dignatur, quoties eadem uti placuerit. Etenim, ut S. Chrysostomus inquit, animabus nostris præter propter idem accidit, quod corporibus: num violentæ febris æstus nos absumit; num diuturna ægritudo vires nostras exhaurit? Satis non est illius ardorem temperare, & prohibere, ne hæc nos efferat; sed ubi convaluimus, valetudinis nostræ diligentissima cura habenda est, minima etiam, quæ officere possint, evitanda; per intervalla ad remedia confugiendum est, ne infirmatum corporis temperamentum iterum in priores morbos relabatur. Quamobrem æque animabus nostris præcavendum est; & confugiendum ad quoddam pœnitentiæ genus, quod præservativam nuncupo medicinalem, & prævenientem; pœnitentiæ genus, quod animæ ipsæ, quæ ab omni criminis specie immunes fuerunt, immo etiam sanctitatis laude floruerunt, & exercuerunt in terris, quamvis conscientia sua nullum ipsis mortale peccatum exprobraret. *Idem.*

In quo spiritus pœnitentiæ consistat.

Spiritus pœnitentiæ, qui exteriores virtutis hujus actiones animare debet, in interiori consistere debet persuasione, quod peccatores sumus, & quatenus peccatores meremur, immo etiam perquirere debemus peccatorum nostrorum punitionem; atque hæc mente omnes acceptare privationes, incommoda, fastidia, morbos, qui accidunt nobis, & ea pœnitentiæ opera, quibus pares sumus, exercere. Neque putes te re ipsa spiritum hunc adeptum fuisse, statim ac his cogitationibus occuparis: verum optimum nihilominus est iisdem occupari, quandoquidem cogitatio orationi addita communis est via, per quam Deus suas in corde dispositiones effingit: quamobrem nobis met quædam præscribere debemus exercitia, quæ nobis hunc pœnitentiæ spiritum instaurant, illam sæpe oculis nostris subjicientes. *Idem.*

Plerique mortalium ignorant, quid sit Pœnitentia.

Mundus repletus est mortalibus, qui sensibus suis indulgent, quorum vita prorsus animalis est, & terrestris, qui sensibilibus tantum voluptatibus afficiuntur, qui sibi nihil denegant eorum, quæ natura flagitat, qui tantum abest, quod naturalem nunc reprimant appetitum, cujus omnia studia vitiosa sunt, ut illum tantummodo explere, eique satisfacere satagant. Vita eorum mollis est, & remissa, viæ latæ, ac patentes, ac tota eorum cura, studiumque est ea omnia amovere, quæ molesta, & injucunda sunt; ea vero confectari, quæ illis placent. Non satis est hujusmodi insipientibus vivere in impœnitentia, eamque palam profitenti, nequeunt pati vitam, quæ magis regularis sit ea, quam ducunt, singularitatis, imaginationis, insaniæ, excessus nomine insimulant, quidquid oppositum est moribus suis, quia hoc discrimen tanquam suam damnationem respiciunt. Ploremus hos miseros, tamquam illos, qui in æternum abrenuatiarunt beatæ illi vitæ, quam illis tantum concedis, Domine, qui sibi vim faciunt, hoc est, qui pœnitentiam, vel mortificationem exercent. *Abbas Trappensis in moralibus considerationibus in Evangelium Sancti Matthæi.*

Regnum cœlorum præsit est, & merces pœnitentiæ.

Dei filius nos admonet, quod pœnitentiam agamus, quoniam prope est regnum Dei. Qui voluptates tantummodo confectantur, & oblectationes inquirunt, huic monito acquiescere nequeunt. Nequeunt, vel potius nolunt eum concipere nexum, qui pœnitentiam inter, & regnum cœlorum invenitur: sed frustra sibimet eam abscondunt veritatem, quæ ipsis importuna est, omnibusque eorum actionibus adversatur. Semper verum erit dicere, regnum hoc pœnitentiæ, coronam hanc certaminibus, & mercedem hanc laboribus deberi; & donec calamitosi homines non efficient, ut antiquetur illa adeo vera, & constans Filii Dei sententia Matth. 11. videlicet: *a diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, semper verum erit affirmare, illis tantum, quibus satis erit constantiæ, & fortitudinis, ut per asperas, duras, difficilesque incedant vias, te Deus, concessurum felicitatem præsentia tua perfruendi; eos vero, qui latas dumtaxat, leniesque vias consectantur, ab eadem in æternum esse prohibendos. *Idem.*

Pœnitentia esse debet austera.

Quovis tempore Sancti Patres pœnitentiam *Baptismum laboriosum* dixere. Quænam autem esse debet hæc austera severitas, quæ necessario conversionem, & pœnitentiam nostram consequi debet? Cum Tertulliano ajo, eam a nostris dumtaxat peccatis jure posse constitui. Mementote ergo Fideles, quod accedentibus vobis ad aras petitum veniam crimmum vestrorum, Dei locus tenendum est: *Pœnitentia indignatione Dei fungitur.* Divinæ justitiæ vices gerere, ac vosmetipsos damnare debetis, iræ illius munus obire, ac in vosmetipsos animadvertere: ideoque contra vosmetipsos supremi hujus Domini causam debetis suscipere, eumque ulcisci, & flectere, quocunque id vobis staturum sit sumptum. Prout magis, minusque nocentes estis, efficere debetis, ut plus, minusve sentiatis effectus indignationis, qua in vos ille succensus est. Pœnitentia nequit esse vera, Christiana, & rationi conformis, nisi hunc gerat characterem. Quid ergo fit, cum molli erga nosmet indulgentia, vel alia quapiam de causa detractamus nosmet huic severæ legi subjicere, quæ tamen justa est, necessaria, & inevitabilis? Deus jura sua iterum acquirit, & vel in hac, vel in altera vita secundum omnem justitiæ, & severitatis suæ magnitudinem punit. Hoc illud est principium, cui innixi ratiocinati sunt Patres, hoc illud discrimen est, quod pœnitentiam inter, & Baptismum intercesse dixerunt. Addamus etiam, eos hujus ratiocinationis effectu integros jejunii, gemitusumque annos fidelibus irrogasse. *P. Chamillare.*

Propositum docendi vitæ pœnitentem reliquo vitæ nostræ cursu.

Oblivisamur paucarum lacrymarum, quas effudimus hactenus, & levium pœnarum, quas fortasse passi sumus, ut Deum ad misericordiam erga nos flectemus. Credamus nos nihil adhuc fecisse, quod iram ejus lenire valeat, & hodie solum nosmet pœnitentiæ consecrare. Huic nosmet ita tradamus, ut nunquam abnuamus in omnibus viis incedere, per quas nos deducere illis placebit; nosmet omnibus illius austeritatibus subjiciamus, atque constanti, intemeratique fidelitate exequamur, quidquid nobis insipitare, atque præscribere illi placuerit. Credite mihi, nobis a nostra mollitie, cujus toties non sine gravissimo detrimento periculum fecimus, metuendum est magis quam a nostro asserto fervore, qui nondum ad extremum aliquod audendum nos impulit. Scio equidem nihil esse, de quo directores accuratius illos admoneant, qui recens conversi sunt, quam ut caveant, ne zelus eorum fiat indiscretus: sed cum ab eo superiore dirigemus, qui æque prudens sit, ac pro nostra salute zelo succensus, & nihil eo inconsulto aggrediemur, ne adeo vani, ac audaces simus, ut eo duce in periculum aliquod nos lapsuros esse vereamur. *Auctor Anonimus.*

Peccator in spiritu pœnitentiæ recipere debet afflictiones sibi a Deo immissas.

Conversus peccator non debet amplius respicere morbos, atque tribulationes, quæ sibi immittuntur a Deo, oculo eodem, quo mundi sectatores respiciunt suas. Has intueri debet tanquam effectus divinæ misericordiæ, quæ illum constantia deficere in pœnitentiæ exercitiis videns, languori ejusdem fert opem, eumque leniter sua percutit manu, ne gravibus brachii sui ictibus illum feriat. Nonne igitur insignis esset cæcitas, vel terribilis temeritas illius creaturæ rerum opem efflagitare, ut amicos beneficæ hujus manus ictus averteret? Nonne illam potius amanter deosculari debet, & cum Propheta rege dicere: *In flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper?* Psalm. 37. Ita, Domine, summum esset nefas, quod fortasse justitiæ tuæ indignationem mihi conflaret, si creaturam rerum subsidium exposcerem, ut me ipsum tuerer adversus iram tuam, quam amor tuus potius, quam tua tibi suadet justitia . . . Quemadmodum peccatori non alia inquirenda est malorum, quæ patiuntur, causa præter peccata sua; ita immobilis permaneat opus est submanu justitiæ, invictaque patientia eos omnes sustineat ictus, quibus eidem hunc percutere placuerit, donec illa sibi satisfactum fuisse testata recedat misericordiæ locum factura. *Idem.*

Pœnitentia nostra cum vita ipsa producenda est.

Meminerimus semper peccatorum, quæ patravimus; indefinenter conjiciamus oculos in infinita bona, quæ amisimus, singulis momentis æterna cogitemus supplicia, quæ meriti sumus; & numquam ita erimus ignavi, ut pœnitentis vitæ rigorem, & austeritatem relinquamus. Nescimus, utrum supremus judex placatus sit; nos vero adeo stulti, ac vesani erimus, ut lacrymas abstergere velimus & salutem nostram in dilerimen adducere aliquot quietis momentis perfruituri? Nescio, utrum pœnitentia, quæ cessare potest, vera sit pœnitentia. Caveamus ergo quam diligentissime, ne revellamus unquam spicula, quibus placuit Deo cor nostrum vulnerare, propter extremum dolorem,

dolorem, quem nostra nobis mollities parit, quæ efficit, ut illam vix ferre valeamus . . . . Ut hanc nos doceret veritatem, Jesus Christus, qui æque pœnitentium, ac justorum exemplum est, noluit de cruce descendere, quo peccata nostra expiaturus ascenderat, minime ratus sacrificium suum absolutum fuisse, nisi totus e corpore sanguis effluxisset. Nullibi legimus, Sanctos Petrum, Matthæum, & Magdalenam, qui primi fuere, magisque illustres pœnitentes, cum quibus Deus usus fuerit misericordia, umquam deseruisse semel susceptam pœnitentiam, quamvis non deessent illis legitimæ causæ, propter quas secum possent dispensare. Evolvamus, quantum libuerit, sanctorum historiam, ne unum quidem inveniemus eorum vero præsertim, quibus gravia expianda fuere peccata, qui lacrymarum suarum cursum inhibuerit, atque cessaverit, quominus austeritatibus, & mortificationibus se ipsum torqueret. Nonne igitur insolens esse præsumptio arbitrari, cum ita nocentes simus, ut sumus, posse nos aliquot mensibus, vel annis pœnitentiæ satisfacere pro peccatis ita gravibus, & fortasse etiam gravioribus, quam quæ beati illi pœnitentes expiarunt laboribus, atque cruciatibus, qui nequaquam citius, quam vita ipsorum finem habuere? Quo jure ea nobismet polliceri possumus privilegia, quæ Deus neque electis, neque primogenito suo concessit, quantumvis imaginem tantum gereret peccatoris? Divina illius misericordia nos ab ita audaci credulitate præservet, atque nobis persuasum sit, quod licet semel divinam læserimus majestatem, & quamvis vita nostra in plura esset sæcula producenda, justam semper nobis futuram causam ad misericordiam illius confugiendi, & districtissimam agendi pœnitentiam. *Idem.*

Idea, quam de pœnitentia concipere oportet.

Si veram pœnitentiæ habere cupis ideam, cave, ne illam tibi fingas secundum plurimorum mortalium mores, qui præ cæteris illam exercere deberent: ad trutinam potius revoca locutiones eas, quibus Sancti Patres utuntur, ubi verba faciunt de virtute hac, quæ adeo illis est necessaria, qui divinam majestatem læserunt. Hanc passim appellant *Baptismum laboriosum, solam, quæ post naufragium fidelibus superest, tabulam, temporalem infernum, gehennam salutarem, & juge lacrymarum sacrificium.* Igitur ex omnibus hisce diversis definitionibus patet, si a pœnitentia labores, lacrymæque sejungantur, omnem illius essentiam deleri. Nisi magis esset incommoda, magisque molesta, quam quæ hodie fieri consuevit, necessario inserendum esset, summos illos vires falsam virtutis hujus ideam concepisse: & ita ipsi in errorem lapsi fuissent, vel, quod cogitare animus horret, mens illis fuisset nos in errorem inducandi eam adeo tetris coloribus exhibendo. *Idem.*

Quam severa esse debeat pœnitentia.

Numquid apertius hoc dici potest, quam per ea verba, quibus utitur Scriptura, ubi perfectam pœnitentiæ imaginem nobis exhibere contendit? *Scindite corda vestra*, quidam ait Propheta, *& non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum, in jejunio, in fletu, & in planctu. Filia populi mei*, per alium Prophetam dicit Deus, *accingere cilicio, & conspergere cinere; luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Aliquidne magis explicitum fingi potest, quam quod protulit Ecclesia per os tot præsulum in Tridentina Synodo congregatorum; gratiam videlicet nonnisi multis lacrymis, magnisque laboribus posse recuperari? Aliquidne magis validum potest inveniri, quam quod Patres inquiunt, ubi pœnitentiæ naturam describunt? Ex his rebus omnibus sequitur, quod labores, lacrymasque adimere idem est, ac penitus pœnitentiam evertere; & fateor, me minime posse memoriam repetere, quidquid ab illis dicitur, quin dolore conficiar videns terribilem eam relaxationem, in qua nos vivere mihi videmur, ubi nostram vivendi rationem cum illa comparo, quam pœnitentes ducere debent. *Idem.*

Quid cogitandum de illa confessione, quam austeritas nulla subsequitur.

Nihil prodest, Sanctus Gregorius lib. 6. moral. cap. 15. ait, peccata sua confiteri, nisi confessionem pœnitentiæ labor excipiat; neque peccatorem vere conversum existimare possumus, quam cum verbo peccata sua confitens ea delere contendit austeritate, & afflictione pœnitentiæ, quæ sit patratis criminibus congrua: *Cum digna afflictionis austeritate*: & quemadmodum Filius Dei olim maledixit arbori pulcherrimas frondes habenti, sed nullum ferenti fructum, ita hunc apparatum confessionis sine fructibus pœnitentiæ non recepit. Quæ cum ita sint, de plerorumque fidelium pœnitentia quid est cogitandum? vel potius quid sentiendum de illis, qui fallacem conscientiæ securitatem se habere confidunt, cum nequissimæ vitæ historiam ad pœnitentiæ tribunal recitarunt? *Idem.*

Qui in mundo vivit pœnitentem vitam docere possunt.

Difficile est hominem conditionem invenire, ubi aliquid magis ferendum sit, quam in illa, in qua mundi hujus homines versantur. Hic status est pœnæ, & in ipsis situm est efficere, ut status sit pœnitentiæ. Quin alibi inquirant, quid patiantur, domi suæ satis inveniunt, unde mereantur, ac pœnitentem ducant vitam, qualis esse debet tota vita Christiani, quemadmodum loquitur Tridentinum Concilium. Quam mirifice hæc divinæ voluntati conformitas, & hæc patientia vobis prodessent ad dissolvenda debita, quæ peccatis vestris conflastis, & quam apte forent, ut divinæ justitiæ satisfaceretis! Molesta profecto pœna est, familiam accurate regere; non modici laboris est, servum in officio, & divinarum legum observantia tenere: arduum est patienter ferre, & moderatione, ac fortitudine flectere mobile ingenium viri, vel uxoris inconstantiam. Undenam pro nihilo habentur omnes istæ ferme assiduæ mortificationes? Numquid hujusmodi mortificationes minus apti erunt pœnitentiæ agendæ modi? numquid Deo minus erunt acceptæ? Num dicere audebis, has simul esse non posse cum valetudinis tuæ gracilitate, cum ætate, ac statu tuo? Jam pridem in acerba exercitatione versaris. Hoc mirum est: vivis, ut ita dicam, in ipsius pœnitentiæ exercitatio, & quod eadem bene uti nescis, ad plures abis, quin egeris pœnitentiam. Quanto majori staret impendio illi, qui lite excidit sua, huic, cui mors præcipuum abstulit præsidium, illi, cujus agros late grando depopulata est, huic, qui insignes passus est jactu as; quanto majori inquam staret impendio, si divinis obtemperans mandatis saltem ex hoc casu aliquam perciperet utilitatem per peccatorum suorum expiationem? Fortasse hoc opus erat infortunio, hac procella, ut ille in portum sese reciperet; cur ergo succenset contra beneficam manum, quæ illum istuc impulit? Hujusmodi adversa, ubi illis præclare homines usi sunt, plerosque Sanctos fecerunt, hæc vulgo viris accidunt bonis, & efficere possunt pœnitentes, Omnes tamen hos casus, & has occasiones satisfaciendi pro peccatis suis respiciunt, veluti quosdam effectus improbitatis hominum, vel ad summum eas fortunæ referunt acceptas, quin in eum, quem oporteret, usum illas convertant, in pœnitentiæ spiritu eas acceptantes. *P. Croiset in spiritualibus considerationibus.*

Quanto staret impendio artifici plurimum labore suo mereri, ac simul jucundam Deo efficere pœnitentiam, si attente Domino opus, laboremque suum offerret? Quænam vita hac magis laboribus est exercita? In ipso situm est efficere, ut eadem sit pœnitens, ac Deus labores ipsius meritis adnumeret. Heu! quietem ipsam dimidiare, ut labor producatur, sæpe labores ipsos fructus vacuos intueri, curas suas fescentis angoribus exasperatas, diesque suos amaritudine repletos! Hæc est plurimorum miserorum conditio; verum quis prophetat, ne in tristi hac conditione benedictionis, & meritorum fontem inveniant? In statu suo habent thesaurum, quem minime norunt, quia eodem uti nolunt. Deus sudoribus eorum pretium tribuit, statim ac eosdem pro criminum satisfactione afferunt. Nihil magis paterentur, si majori patientia laborem suum sustinerent. Patientia in fescentis molestis eventibus salutaris est pœnitentia illi, qui omnia a manu Dei recipere novit. *Idem.*

Nullus est status vel conditio, quæ se a pœnitentia valeat dispensare.

Equidem scio Evangelium præcipere, ut fructus faciam dignos pœnitentiæ, ac simul plorantibus benedicere. Scio pœnitentiam debere vicem gerere Divinæ justitiæ, & cum severam hanc justitiam peccator nequaquam prævertit, ipsam in hunc terribilem proferre damnationem, præcipiendo: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum* . . . . Scio tandem me ab hac via recedere non posse, quin errem, neque aliam sequi regulam, quin damnem vitam Sanctorum, & insimulem Spiritum Sanctum, qui eamdem afflavit illis, quasi spiritus esset erroris, eosque in illusionem induxerit. Nequaquam; credere nequeo nobis tantam esse posse insolentiam, & impietatem, ut dicamus Paulos, & Antonios, Hilariones, & Arsenios, omnesque insignes illos eremitas, qui olim effecere, ut Ægypti, Thebaidisque deserta tantopere celebrarentur, a spiritu mendacii, erroresque actos fuisse. Si qui igitur sunt, qui se a laboribus, & mortificationibus proprii sui status, & ipsorum professioni quodammodo inhærentibus dispensent, non aliud dicere possum, nisi quod fieri potest, quod ex eorum justorum numero sit, qui non indigent pœnitentia; vel homines esse, qui sub exterioris probitatis specie maxime essentiali desunt officio vitæ Christianæ. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Solum

Pœnitentia nonnisi per molestas actiones fieri potest.

Solum pœnitentiæ nomen manifeste probat eam fieri non posse sine operibus, quæ cum pœnis, & laboribus conjuncta non sint. Cum hæc virtus nomen suum a pœna desumpserit, quam sibi anima infligit se ipsam affligens dolore, quod læserit Deum, & corpus suum mortificans, cui adhæret, & quod ut plurimum causa est criminum ejus: hæc ratio est, propter quam Scriptura sancta, & Patres nunquam de pœnitentia loquuntur, quin simul de molestis actionibus, lacrymis, ciliciis, gemitibus, vigiliis, jejuniis, cineribus, aliisque id genus exercitiis loquantur. *Revertimini ad Dominum in toto corde vestro, ac reditus vestri sinceritatem jejuniis, gemibus, lacrymisque ostendite. Induimini cilicio, conspergimini cineribus, ac ploratuum vestrorum magnitudine imitamini gemitus, & suspiria matris in obitu unigeniti sui.* Nonne hinc inferendum est, pœnitentiam esse debere laboriosam, atque longe abhorrentem ab illis omnibus lenimentis, quæ hodie adhibentur? *Pater Gegou in libro cui titulus: Usus Sacramenti pœnitentiæ.*

Pœnitentia secunda est post naufragium tabula.

Patres, atque Concilia, ut pœnitentiæ austeritatem exprimerent, ea usi sunt locutione, quam serio a vobis animadverti postulo. Illam secundam post naufragium tabulam appellarunt, innuentes Baptismum esse tamquam amicam navim, quam divina præparavit providentia, ut nos a funesto eriperet cataclysmo, in quo omnes Adæ filii, qui in sanctam hanc Arcam non ingrediuntur, intereunt. Sed si navis hæc in aliquem scopulum illisa frangitur, nulla superest via, qua naufragium evitari possit, nisi pœnitentiam amplectaris, tamquam fractæ navis tabulam, quam nunquam deseras, nisi postquam ad littus evaseris. Quam fidelis, & simplex hæc pœnitentiæ imago videtur, sed quam orribilis est! Etenim tibi finge calamitosum hominem, qui in medio mari naufragium facit; & qui fluctuum vehementia agitatus fortiter adhæret tabulæ, vel fractæ navis reliquiis, quas primum arripere potuit: modo fluctuum vi ad nubes usque sublatus, modo in imum usque abyssi demersus, nihil non conatur, ut tandem ad littus aliquod appellat. Nunc in malum natantem, nunc in fractum illius gubernaculum, nunc cæco actus fluctu in aliquam rupem impellitur; ac tandem postquam diu ventorum, fluctuumque ludibrium fuit, postquam millies in maris imo jamjam deglutiendus subsedit, sese conjicit in littus undique fractus, cruore manans, & semimortuus. Hoc ipsum, Patres inquiunt, & Concilia, de pœnitentia dicendum est: *Secunda post naufragium tabula*: tabula secunda, quam nobis obtulit misericordia, ut nos liberaret naufragio, ita ut per pœnitentiam nostræ saluti consulturi magna conari debeamus, & arduas, & molestas suscipere exercitationes. *Idem.*

Adhortatio ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos.

Ne nobismetipsis blandiamur, o Fideles, ea in re, ubi de æterna salute nostra agitur. Vel digni pœnitentiæ fructus faciendi sunt, vel in æternum pereundum est. Hi quidem fructus amari videbuntur; sed nonne omnia pharmaca hoc ipsum præstant? Ne consideremus eorum amaritudinem, sed eam salutem, quam nobis reddituri sunt, æternamque mortem, a qua liberare nos debent. Quid quotidie non fit, ut affecta valetudo, & periculoso aliquo morbo afflictata recuperetur? jejunatur, amaræ potiones ebibuntur, acutissimæ incisiones perferuntur, omne mundi commercium interceditur, omnia amoventur oblectamenta. Abnuimus autem leves aliquot mortificationes suscipere, & aliquot pœnitentiæ exercitia obire pro gravibus noxis, quæ sunt veluti totidem mortales ægritudines, ex quibus nequaquam omnino convaluimus, & quarum reliquiæ molestam nobis portendunt recidivam, quæ fortasse miseræ mortis causa erit. Iterum dico: faciamus dignos pœnitentiæ fructus; & si mollities nostra adeo sancto consilio adversari voluerit, si mundus nostras videndi rationem irridet, si hujus confusionis metus nos cohibet, cum Tertulliano dicamus, peccavi in Dominum, justitia ejus tulit in me æternæ mortis sententiam, & in periculo sum mortis æternæ; hac de causa ingemisco, ploro, castigo corpus meum, neque uspiam satis graves invenio pœnitentias, quibus divinam misericordiam promerear. Quascumque austeritates amplectar, quodcunque malum patiar, si his sumptibus gratiam invenire potero, præclare mecum actum putabo; felix, si tantulo impendio Deo meo satisfacere potero, & eas redimere pœnas, quæ vitæ meæ flagitiis debentur. *Idem.*

Ut pœnitentiam agamus, abstinere debemus a voluptatibus, & solatiis etiam licitis.

Cum læsimus Deum, nequaquam illi satisfacimus a peccatis abstinentes, nisi abjicemus voluptates, & solatia legitima, quæ amavimus, & nisi patiamur ultro pœnam aliquam, ut in nobismet peccata nostra puniamus. Neque ideo putes oblectari Deum pœnis, & laboribus nostris; sed mederi non potest morbis animarum nostrarum, nisi per ea remedia, quæ sint eisdem contraria. Vult ergo eos, qui lapsi sunt illegitima secuti, consurgere a legitimis etiam abstinentes; & cor, quod sese in falsa effudit gaudia, & in solatia nimis mundana, coarctetur quodamodo tristitia, & mortificatione, quæ salutaris sit, & Christiana; alioquin spectandum non fore, ut nos vere pœniteat, ac Deo satisfiat. Et sane quinam error est credere, pœnitentiam fieri posse ab eo, qui in earum voluptatum perfruitione persistit, quæ palam malæ non sunt, & quas honestas mundus appellat, in ludorum, ac inutilium visitationum continuatione? Pœnitentia dolorem, mœrorem, ac tristitiam supponit: possunt autem hi sensus in anima haberi, atque simul solatia, & voluptates perquiri? *Idem.*

Per pœnitentiam redimendum est tempus, quod in vitiis insumptum est.

Nos hortatur Apostolus, ut quocumque pretio redimamus tempus: & Sanctus Gregorius lib. 6. Moral. cap. 6. hæc explicans verba ait, redimemus tempus, cum per lacrymas, & austeritatem pœnitentiæ tempus redimimus, quod per peccata, & vitæ nostræ flagitia perdidimus. Ex his verbis colligimus, si peccatori redimendum est per pœnitentiam tempus, quod per sua amisit peccata, & si tunc cum redimitur, ut Sanctus loquitur Augustinus, amittendum aliquod est eorum, quæ ad nos pertinent, ad emendum, quod ad nos non pertinebat, patet, nobismet interdicendum esse ultro jus illud, quo uti poteramus iis rebus, quæ vetitæ non sunt, ad reparandas præteritas noxas, & peccatorum nostrorum remissionem comparandam. Unde liquet etiam, pœnitenti nequaquam satis esse debere communia pietatis fidelium exercitia; sed graviora esse eligenda, tanquam remedia vulnerum suorum magnitudini idonea secundum verba Sancti Joannis, facite fructus dignos pœnitentiæ. *Liber, cui titulus*: Instructions Chretiennes, *pro vigesima post Pentecosten Dominica.*

Pœnitentia magna esse debet, pro magnitudine odii, quo Deus peccatum persequitur.

Metiri debemus, Domine, pœnitentiam nostram ex horrore, quo nostra odisti peccata, sed quam magnus hic horror est! Tantum enim illa odisti, quantum temetipsum diligis: & odium hoc proficiscitur ex infinita oppositione, quæ peccatum inter, & summam sanctitatem tuam intercedit. Infinite illud odisti, quia infinite bonus, & sanctus es; ad id autem consideranda sunt omnia mala, quæ nobis attulit peccatum, ut majori cum sollicitudine quæramus remedium, quod nobis contulisti, ut quidquid detrimenti passi fueramus, repararemus. Peccatum nos a te dividit, pœnitentia nos tecum conjungit: peccatum nobis mortem infligit, pœnitentia vitam concedit; peccatum nos dæmonis filios facit, pœnitentia filios Dei; peccatum nos in infernum præcipites agit, pœnitentia vero efficit, ut paradisum mereamur. Oderimus ergo infinite peccatum, quod infinita nobis mala parit; amemus infinite pœnitentiam, cujus ope tot bona recipimus. *Auctor Anonymus.*

Pœnitentia, vel pœna, quam exigit Deus ob peccata etiam, quæ remissa sunt, ostendit quanto odio peccatū persequatur.

Magna quidem peccati nequitia, gravisque dicendus est horror, quo Deus illud persequitur; quia quantumvis magna sit illius misericordia, veniam ne amicissimis quidem concedere potest, quin legitimam ex illis satisfactionem exposcat, quemadmodum & Moysis, & Davidis exemplo didicimus. Gratis peccatoribus suam reddit amicitiam; reddit illis cum gratia omnes infusas virtutes, omniaque Spiritus Sancti dona; illis reddit merita omnium bonorum operum, quæ peccatum penitus annihilaverat: eas redeuntes amplectitur amantissime tamquam misericors Pater; quoad pœnam ipsorum peccatis debitam, illius æternam durationem remittit: pœnam vero, integrumque supplicium illis nequaquam remittit, quantumvis magna sit illius misericordia, & quantamcumque lætitiam pro reditu prodigi hujus filii testatur: *Scietis ultionem meam*, ait ille Num. 14. Sciat, volo, peccator, quantopere peccatum oderim, & quanquam sim Deus misericordiarum, nemo tamen impune me lædet: *non gustaremus peccati amaritudinem, si simul cum culpa remitteretur & pœna.* Sanctus inquit Augustinus Tractat. 124. in Joann. Nesciremus, quam amarum sit crimen, atque illuc post pœnitentiam reverti minime metueremus, si hæc pœnitentia, videlicet dolor peccati nulla pœna exciperetur. Itane, o Deus, adeo parum fidelibus de hac veritate persuasum est? Ita facile peccant; pœnitentia illis negotium minime facessit; putant rem totam in eo verti, ut insusurrent in Sacerdoti auriculam peccatum aliquo cum dolore, heu! sæpe superficiali, & cujus mera tantum species est; & posthæc nihil sibi vel faciendum esse, vel metuendum, quasi Deus ad illud animum nequaquam adverteret. Nescio, utrum hodierna die alius sit error hoc magis perniciosus saluti animarum, vel major imprudentia in plerisque fidelibus, qui, quin hac in vita agant

agant pœnitentiam, & divinæ justitiæ satisfaciant, expectant, donec ipse Deus, vel in hoc, vel in altero mundo pœnas deposcat. *P. Gegou in libro, cui titulus: Usus Sacramenti pœnitentiæ.*

Hic erat Sancti Bernardi metus: *Vapulem, Domine, male operans*, ajebat ille, *vapulem, forte misereberis flagellato.* Percute, Domine, neque parcas mihi, ubi in scelus aliquod cecidero; fortasse hæc flagella te flectent, ut mei miserearis. Porro si timor iste sanctissimorum virorum corda pervasit; si id reputantes contremuerunt; si id causa fuit, propter quam toto vitæ suæ tempore gravissimas sustinuere pœnitentias, quam vim habere debet in animabus mundanis, quæ vitam suam omni vitiorum genere commacularunt? Si meræ negligentiæ effecerunt, ut sanctæ animæ Dei odium, & gravissima quæque mala metuerent, quid metuendum illis est, qui, postquam omni flagitiorum labe vitam suam fædarunt, levem dumtaxat egisse pœnitentiam satis putant? Sancti hæc cogitantes inter pœnitentias, & austeritates suas toto vitæ suæ spatio trepidaverunt: animæ vero mundanæ post levem confessionem se in tuto esse censebunt. *Idem.*

Sensus peccatoris meditantis expiare scelera sua austeritate pœnitentiæ.

Peccator cum Salvatore dicere debet: *Baptismo debeo baptizari, & ecce quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Baptismus, quo tu, o Salvator, baptizandus eras, Baptismus erat sanguinis tui, in quo immergendus eras propter peccata nostra in acerbissima passione tua: & adjecistis, *quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Ego peccator, & ipse baptizandus sum Baptismo pœnitentiæ, qui Baptismus est larymarum, & quodammodo etiam sanguinis, si verum est, ut quidam Pater ait, lacrymas ibi effundendas quamdam esse sanguinis speciem; & sanguinis etiam Baptismus est, quia est veræ, perfectæque mortificationis Baptismus. Heu! quænam me urget sollicitudo cupientem sanctam laboriosi hujus Baptismatis ferre severitatem. Salvator mi, applica quæso mihi sanctos hos Baptismi pœnitentiæ rigores. In pœnitentiæ spiritu recipio mala, quæ mittes mihi, detrimenta, corporis, animique afflictationes, morbos hoc tempore miseriis referto, & sine querela sub flagellis tuis caput submittam: sed quemadmodum efficis, ut sentiam gratiam, & benedictionem peculiarem, qua perfunditur, qui obtemperat tibi, cum jubes, me per pœnitentiam expiare peccata mea, æquo, lubentique animo accipio pœnas omnes, quas misericordia tua, potiusquam justitia, hac in vita mihi mittere voluerit. *Idem.*

Sanctæ austeritates, quas præcipis, Domine, & peccatoribus vere pœnitentibus inspiras, non solum sunt justitiæ tuæ effectus, verum etiam paternæ misericordiæ tuæ exercitium. Medice sapiens! hæc est vivendi norma, quam tuis præscribis ægrotis, ut suam curationem perficiant, utque illis omnia mali principia auferantur; hæc sapiens, est, & misericors præcautio, qua nostris infirmitatibus consulis, ad excitandam iis in occasionibus vigilantiam, in quibus facile labimur. Applica mihi, Salvator, saluberrimas hasce austeritates, quæ in me peccatorum meorum memoriam perennant, eaque horribilia efficiunt in oculis meis, ita ut mihimetipsi opera vere pœnalia imponam, quibus caro mea mortificetur, & crucifigatur, spiritus vero humilietur, quibus recidivæ metus mihi incutiatur, ita ut a pœnitentiæ exercitatione nunquam recedam. O pœnæ quam validum estis licentiæ, & furoribus frænum, quam amabiles estis! O sanctæ præcautiones vos toto pectore amplector, ac Divinam adoro misericordiam, quæ vos mihi imponit! *Idem.*

Pœnitentia reparat gloriam, quam peccatum eripuit Deo.

Pœnitentiæ exercitatio est veluti honoraria quædam mulcta qua peccator reparat quodammodo honorem, quem Deo suum crimen abstulerat. Et profecto peccator incipit sese humiliare confitens suas infirmitates, & crimina, errores mentis suæ, suique cordis flagitia, deinde profitetur Deum solum esse sanctum, & a justitiæ via recedere quicumque illius legem infringit. Denique ut ipse eam ulciscatur injuriam, qua Deum affecit, distringit arma, ac in semetipsum severe animadvertit. Superbia causa fuit, propter quam obedientiæ jugum excuteret, humilitas eum pudore suffundit errores suos confitentem: voluptas cor ejus corrupit, contritio illud dolore frangit, & quia caro ejus rationem fefellit, illam austeritatibus crucifigit. Hæc omnia, sicut videtis, mirum in modum læsi numinis gloriam reparant. Ad hæc peccator per pœnitentiam hinc quidem suam agnoscit infirmitatem, inde vero Creatoris sui præstantiam, & postquam ejusdem excussit imperium, iterum sese eidem submittit. *Auctor Anonymus.*

Pœnitentia Deo satisfacit magis, quam rigor iræ ipsius.

Quoniam severa est pœnitentia, iræ divinæ munere fungitur, ut loquitur Tertullianus, idque majori vi, & efficacia, quam Dei ipsius ira, vel potius agit in nobis id, quod ipsius Dei ira, si sola sit, nequit efficere. Quare? Quia ira quidem Dei peccatum punit in nobis, non delet; pœnitentia vero illud delet puniens; quamobrem ita Dei, si sola sit, quascumque pœnas vel exigat, vel sumat de peccatoribus, nunquam efficere potest, ut Deo satisfiat, quod in inferno videtur, ubi tota pœnarum, quas reprobi patiuntur, æternitas numquam satisfacit Deo, quia in inferno, Sanctus Bernardus ait, Dei tantum ira operatur. Pœnitentia vero felici iræ simul, & misericordiæ divinæ immixtione, iræ quidem, cujus vices gerit, misericordiæ vero, quam flectit, justa, & integra est satisfactio, quam Deus expectat a peccatore. *Dictionarium morale.*

Pœnitentiæ necessitas.

Duplex tantum in cœlo patet via, vel innocentia, vel pœnitentia. Quis autem illuc per innocentiam se iturum putat, præter illos, qui per ætatem peccare non possunt? Peccatori sine pœnitentia, & sine mortificatione nulla salus. Quid est peccator, Tertullianus ait? homo est ad pœnitentiam, & mortificationem natus. Peccatori aut pœnitentia, aut infernus: illi plorandum, & ultro in tempore sustinendum est, aut invito in æternitate plorandum, & perferendum. Si vera narrat Evangelium, nil medium, est, elige utrum mavis, dum licet; at eligendumne est, atque deliberandum? Quodvis peccatum, Sanctus Augustinus inquit, vel ab ultore Deo, vel ab homine pœnitente puniendum est; vide, utrum optes. Nonne satius est divinæ justitiæ severitatem evitare eam prævertendo, vel potius eamdem flectere temet ejusdem ministrum constituendo?.... Dignatur Deus justitiæ suæ causam in tuis committere manibus, dummodo bona fide hanc aggrediaris provinciam: quantumvis graves sint ictus tui, semper erunt infirmiores illis, quos omnipotens brachium infligit. Pœnitentia, Tertullianus inquit, vice fungitur justitiæ Dei. *P. Nepveu tomo secundo considerationum.*

Actiones nostræ ostendere debent sinceram esse nostram pœnitentiam.

Actiones vestræ, vestræque agendi rationes debent ostendere, vos verum cepisse volinet convertendi, & pœnitentiam agendi consilium. Quantumvis firmæ sint, stabilesque deliberationes vestræ, ubi illis non accedunt comites virtutes, atque actiones, quamprimum quatiuntur, atque delentur. Ne in vitæ vestræ ratione patiamini quosdam mores, qui palam ostendunt, olim mundum vobis, quam Deum, fuisse chariorem; ne servetis amplius inania ornamenta, & luxus, & vanitatis reliquias, propter quas olim in mundo suscipiebamini; ex animo vestro obliterate suavissimas ideas, ac jucundissimas illecebras hujus mundi, quibus corrupti fuistis. *P. de la Rue sermone de Sancta Magdalena.*

Pœnitentia esse debet austera.

Hæc est Tridentini Concilii sententia *sess.* 14. *cap.* 2. Fructus Baptismi differt a fructu pœnitentiæ? etenim per Baptismum induimus Jesum Christum, & simus in illo nova creatura plenam, integramque omnium peccatorum nostrorum remissionem recipientes: sed in pœnitentiæ sacramento ad primam illam novitatem pervenire non possumus sine magis ploratibus, laboribusque, hoc ita divina justitia flagitante: ita ut non immerito pœnitentia a Sanctis Patribus Baptismus laboriosus vocetur. Audite, Ecclesiæ filii, verba matris vestræ: hæc vobis proponit magnas pœnas, magnosque labores, Baptismum laboriosum. Hæc vos docet, Divinam justitiam hoc petere. Hæc Ecclesiæ severitas est juxta spiritum ejus, qui nunquam extinguetur, & quem illa semper opponet laxitati. Quid nobis prodest cum concilio hæreticorum mollitiem detestari, qui hos sanctos pœnitentiæ rigores exploserunt, si in similem incidimus languorem, & re ipsa negamus, quod verbis fatemur? Hic Ecclesiæ rigor justus est; imitatur enim Dei justitiam, peccatore in semet ulciscente injuriam, qua infinitam hanc bonitatem, & majestatem affecit. Salutaris est, quia novus est Baptismus, difficilis quidem, & laboriosus, sed semper Baptismus est, per quem plorantes peccata nostra in cordis nostri amaritudine recipiemus primam illam novitatem, & integritatem Baptismalem, quam amiseramus. *Bossuet Meldensis Episcopus in libello quodam de Jubilæo.*

Peccatum necessario vel a Deo ultore, vel a pœnitente peccatore puniendum est.

Conquerimur, ubi confessarius aliquot præcipit jejunia, eleemosynas, mortificationes. Nunquid reo cum judice disceptandum est? Heu! quam parum hoc nobis videretur, si nobis esset persuasum, nos infernum jam fuisse promeritos, & levi hac pœnitentia a damnatione liberari. Ita est, peccator, vel ab ultore Deo, vel a corde pœnitente puniendus es: divinæ justitiæ vel contritione, vel supplicio satisfaciendum est: Aut